poes. lat. [illegible]

Poet. Latin

6
22-c
62

NAZIONALE ... EMANUELE
6
20 B
3

6. 22 c. 62

AD SATYRAM DII VESTRAM FIDEM ANTISATYRA TYBERINA.

NEGLECTI ACADEMICI ROMANI.

Domus S.ti Pantaleonis

Scholarum Piarum

FRANCFVRTI. MDCXXX.

Ex Sacrd Franc de Rubeis

ARGVMENTVM.

SAtyra, cui titulus [Dij veſtram Fidem] ſuperioribus menſibus Romam delata eſt. In ea ſacrorũ Procerum mores fœdè notantur, auaritia, libido, luxus, ambitio. Cœnobitarum autèm quà hipocryſis, quà habendi amor diris moribus appetuntur. Adhortatione conuicium clauditur, vt vitiorum Roma excutiat iugum, tantum non dominantium amphibologicè velit innuere. Huic per Antiſatyram reſpondetur primò ad hominem, de patria, de inſtituto, de voluntate Satyrographi perquirendo; tùm ad res, quæ in aduerſarium retorquentur ratione gemina; nàm ſi Roma vitioſa eſt, vitia ab aduenis conuecta ſunt; neq; vlla regio, vllus locus ſceleribus vacat. Mox res eædẽ negantur, confutanturq;; ac demùm Auctor Satyrographum caſtigat, & monet.

MIrabar, ni quiſquam eſſet, qui pollice poſtquàm
Omne argumentum luſi, me crimine tandèm
Ad Satyram traheret, probroq; accenderet iras.
Ecce (FIDEM, DII, VESTRAM) illum. Roma, inclyta Roma;
Excute cuncta ſinu, communem amplectere cauſam;
Clamitat, & iuſtam ſpirat ſub pectora flammam,
Necnon Hetruſca digiti prurigine gliſcunt.
Vrget mirus homo Caledonius? anne Batauus?
Aut Dionyſiaco nebulonis de grege Bezæ,
Qui fœdas artes gelidam meditatur ad Arcton?
Sin eſt Italiæ cultis prognatus in oris,
Quanuis diſſimulet, nec detractante pudore
Natiuos metuit patriæ telluris amores,
Obſtupeo: at matrem ſecuit quoq; ſica Neronis,
Et parricidas deprendit Magnus in vrbe;
Cum tamèn ad nati patriam defendere cauſam
Pertineat titulos. Sed ſit Campanus, an Afer,
Hoc nihil intererit, non hoc ſtat nomine cauſa.
Ille quidem, quamquàm ſimulet ſe à talibus eſſe
Præciſum ſtudijs, longos ſudauit in annos,
Excuſſit Satyras, atq; æui flagra vetuſti.
Intactus non Flaccus ijt, non pagina Perſi
Arcta; nec effuſis melior Iuuenalis habenis,
Non & Lucili, non inuentoris ab Argo
Fragmina, ſiqua manent, vel deducente Sybilla,
Intractata manu carioſo in cortice liquit;
Omnem quinetiàm bilem, cum Muſa cacaret
Vi medica, inquirens, purgamenta omnia Pindi,
Contraxit virus; tùm facta eſt lauta ſupellex
Verborum, exhauſit theſauros, lexica ſuxit,
Necnon antiquæ reuocans commercia linguæ.

Nequitias omnes Latia collegit arena;
Vno rem dicam verbo, canit ore rotundo.
At quorſum tàm pingue penu? tot ligna ſub olla
Huic ſi duntaxat fuerant maledicta coquenda?
Sat dictat Natura malum; ne quærite, vates,
Hinc famam ingenij, neu vim, cerebrumq; rotate,
Non opus eſt ſtudio fluit in conuicia ſermo
Vltrò, & vel caudex traducere nouit acutè.
Quorsùm conatus, ſi conciliabula, tonſor
Quæ facit in triuijs de more loquacibus, affert?
Queq; fluunt penſo ſtabuloſum ad lumen anili,
Immemor ingenij vigilato carmine prodit?
Mirabar, quid fortè daret, nam grandia primò
Spondebat, ſed trita dedit, qui arcana nequiuit;
Montes parturiere, exiuit ridiculus mus.
Scilicet egregio vati, deq; arte merenti
Sat fuit aut Satyra ſcribendi quærere laudem,
Aut animi crudum nobis aperire venenum,
Quod ſibi non alijs noceat, temereq; peractum
Vltrò monſtret opus: cui quò magis ira pateret
Addidit arte notas, & poſt obſonia cœnæ
Appoſuit ſaturæ, vel dentiſcalpia menſæ
Sedulus inſtructor; nàm quis tam barda putaſſet
Ingenia ad cliuum Capitoli, arcemq; Quirini,
Vt nos prætereat calamus Varronis, & Acci?
Adde locum quæſiſſe notis, quo tolleret aſtris
Seſe, Coruino & melius, meliuſq; ſecundo
Ambitioſa ſuum laudaret pagina patrem.
Ventoſus balatro ò ſibi quanta encomia nectit,
Huic iam Lucili formauit ſpiritus artus,
Vel ſummi eſt vatis Samio ex ſene tranſdita mens huic
Pauoni, haud partem laudum fugit ille ſuarum.

Quid

Quid ſi Victori Graio inuidioſa Camœna
Scriptori tanto magnum dictaſſet Achillem,
Æneaq; vias, & bella exhauſta? ſed iſtud
Eſt vitium gentis. memini gymnaſia puber
Cum peterem, & Phœbi inciperet mihi vena placere,
Egregio ludi ſatis cedente magiſtro,
Alpino a Borea, & lapidoſæ à finibus oræ,
Aduentaſſe hominem conductum à ciuibus illis,
Eſſe quibus fuerunt ingentia, quæ procùl abſunt;
Credo Pygmæa fuerit de gente gigantum,
Sic breuis ille fuit. Nonæ venere Nouembris,
Ipſe ſui ſpecimen primo ſermone daturus
Hortenſi veluti, Tulliq; Vicarius eſſet,
Doctum ſcandit ebur, & præceptoria roſtra;
Acciti coram proceres ſpectare paratum.
Ille ſuo ſimilem, aut breuiorem corpore fundit,
Neſcio quam dicam, da tu mihi nomen Apollo,
Annales forſan Voluſi, chartamq; cacatam,
Et dictis homines ſtultiſſimus angit ineptis,
Se tamen is magnum quiddam dixiſſe putabat;
Deſcendit gradibus, mox huic accedit, & illi;
Talia nùm quæſo, vos hic audire ſoletis,
Egregij ciues? Sic quærit, protinus omnes;
O quàm digna papæ, minuit præſentia famam.
Altiùs at ſtomachis ea vox inſedit homuncli,
Mirati, & ſtolidum Cyrrhææ rupis aſellum
Vix menſes tenuere duos; cognouit ineptus
Se non vnoculum cœcas veniſſe ſub oras.
Iſta quidèm ſpecies hominum, ſi captet ab Enni
Stercore, quod ſapiat Latiæ cunabula linguæ,
Os cum ſi recoquat dictamen, verbaq; portet,
Queis Numa cum populo fabatur, queis pater vrbis,

Tùm verò egregiè loquitur: Salluſtius olli,
Cæſar, Virgilius, Cicero ſermone pedeſtri
Vtuntur. da, Plaute, aliquid, quod lexica poſcat;
Quod patet in vulgus, vile eſt. porrò nouus iſte
Annibal, aduerſas Romam, qui ſigna reportat,
Scilicet ad famam cecinit; ſine nomine fama
Attamen eſt, latitatq; Poëta; quis hunc mihi nodum
Explicet Oedipodes, ſic ſunt diuerſa. ſed heus tu,
Patronos quos concilias? quæ nomina fœdas?
Pignorium, Quærengum, alios telluris honores
Auſoniæ? tu ne egregios, caſteq; verentes
Romanos apices, & Vaticana colenda
Aſſenſum præbere tuis latratibus inquis?
Quin dictaſſe refers? atq; bis famamq;, fidemq;
Quæris ab Ægeriјs, impoſtor putide nymphis?
Si laudauerunt, laudata eſt dictio lauta,
Quà formæ veteres, quà flumina pura loquendi;
Sic ego, rem verò non laudauere profanam,
Nec laudare queunt. Sed tecum, & quisquis, agatur
Ingenuè, mores damnas, & crimina carpis
Romula, auaritiem, mixtaq; libidine luxum;
Multa incerta canis, mendaciaq;; haùd tamèn obſto,
Veſtibulo in primo do ſingula; ſed mihi, quæſo,
Diſſere, Vir ſapiens, vnum hoc; cur obijcis vrbi,
Quæ peregrè adueniunt? hic Saxo, hic Gallus, & omnes
Trans freta, trans Alpes ortæ, noua regna parantes
Nidificant noxæ. quid tu? referes; ità porrò,
Quodcumq; eſt vſquàm frugi, quocumq; decorum
Per bella, & faſces ad vos manauit ab vrbe;
Vos inuexiſtis contrà pro munere labem
Quiſq; ſuam, veſtro vitioſa eſt crimine Roma.

Hac non, Dictator Cæſar, te labe reſoluo,
Cum Pompeianos micuiſti victor in enſes;
Ex illo peregrina fuit ſententia Patrum;
Vrbs facta eſt orbis, Belgam ſubſellia noſtra
Accipiunt, faſtis geniti ſcribuntur ad Albin,
Et Gaditanus faſces præmittit arator
Tot iactans lauros, tot auitas ante ſecures,
Conſule quot Mario fuerant, quod Claudia ſceptra;
Criſpino decedit eunti in templa Metellus.
Indè omnis corrupta ſeges voluentibus annis,
Indè Corinthiaca diſcens à Laide mores
Flagrat, & aëria ſe meridiana per vrbem
Offert ancipiti matrona in veſte Neroni.
Quantùm dedecoris Romanis intulit auris
Vel ſcelus Herculeo Cleopatra, vel vltio mœcho?
Indigena veteres, impermixtiq; Latini
Virtute auxerunt rem latè, & ſimplice victu,
Fabritius; ſulcoq; potens Serranus, & enſe.
Nondum Paſquilli violarat fercula Galli
Dextra, nec inſidias intenderat olla palato
Cæpa ad delicias ſat ſufficiebat inempta;
Caſta parens, & caſta nurus ſub paupere tecto
Mulcebant penſo vitam, calathiſq; Mineruæ,
Et ſimplex ſanctum velabat lana pudendum;
Innocuos virgo ſugebat ſedula mores.
Vrbs malè mixta ruit, nec ſe cognoſcit in ipſa.
Quis verò ſiue ad Boream, ſeu natus ad Auſtrum
Abſtinet à vitÿs patrÿ ſub ſydere cœli?
Eccui de pomo, quo nos natalia Tempe
Captarunt auidos, prurigo egreſſa pepercit?
Quin ſenior mundus ſempèr peiora capeſſit.
Olim vix Ephori coniux radiabat in auro,

Nùnc mimi; argento ſoleas regina recuſſò
Prodiga ſubdit equis, it quadrigarius anceps;
Qua figat ſtatione pedes, qua flectat habenas,
Ne malè vitato delinquat bractea cœno.
Regẽ agit in ſtragulo, & generoſa in gauſape quiſq;
Boetica perniciem plaga ſentit, & Anglica longè,
Et non metatum conſidens Dacus ad Iſtrum.
Exhaurit fundoſ, & patrimonia luxus,
Nec ſtabilis tanti domus eſt, quàm ductilis ædes.
Sin Veneris mentem ſubeat pretioſa voluptas,
Quæ regio immunis? quis non benè lotus, & ipſam
Ardet Quartillam? limoſumq; appetit inguen,
Atq; theatrali ſquallentem puluere clunem?
Haùd mirum, faciles ſi traxit Cincia mœchos.
At quæ fœmineo reliqua eſt in pectore virtus?
Non Ithaci coniux, non quæ fuit vrna marito
Iàm retrahat fatuum lucroſo ab fornice cunnum.
Qualibet eſt hodiè ſtatio malè fida pudori,
Et ſellas hodiè faciunt, & Cyprida in ipſum
Protea tranformant, tot amandi gaudi quærunt:
Nec tu fugiſſes forſàn, ſub veſte latentis
Tè ſi tentaſſe puerum fortuna libelli.
Quid memorem fractos fœda prurigine reges,
Qui ſacra iurati violarunt fœdera lecti?
Nec timuere polos memores fandi, atq; nefandi?
Hæc non Roma docet. Seiuncta Britannia cœlo
Dat gemitum, ſecli rediere exempla vetuſti,
Et mens iampridèm ſuſpenditur anxia mundi,
Quos faciant rerum dominos dotalia bella,
Quæ latus ad ſcopulum malè contabulata carina
Fatidicum frangat, trifidum quò Iuppiter ignem
Torqueat, & certo placitam probet omine cauſam.

Roma nocens ? Colchi teſtes, & Gnoſſia tellus.
Verùm ades, ò bone vir, veſtræ ne in finibus oræ,
Ieiunant ? & nulla viris eſt cura coquinæ ?
Quanti emitis lenonem ipſi, fera membra palato,
Qui benè conciliet ? qui pingui colligat orbe
Pullumq;, vitulumq;, & Nöe vulgus ab arca ?
Non tanti eſt flamen, non conſiliarius ipſe,
Non qui de cathedra iuuenum plaudente corona,
Multus Ariſtotelem crepat ore, aut Papinianum.
At non deeſt veſtris in regibus belluo, tempus
Qui ſæpè in cœnam nocturnum, ſæpè diurnum
Tranſigat, & biduo mappam, triduoq; fatiget,
Ac multo epoto tota virtute falerno,
Aurea commendet reduci ſubſellia Baccho.
Inuentor ſibi quiſq; epuli eſt, gaudente palato
Non pudet eſſe coquum, regali fuluus in auro
(Nota fero) ad prunas moderatur fercula quiſquã.
Nimirùm fama eſt geminos, quorum alter honore
Conſpicuus ſceptri, inferior, ſed proximus alter,
Nec geniti ad Tyberim, Tyberina nec arua colentes,
Haùd multæ meſſes iàm præteriere, fuiſſe.
Hi menſæ illecebras, & pulpamenta culinæ.
Omnia callebant; ſcarus his, mulluſq; trilibris
Littore Cumæo conſtabat millibus vnus.
Nullo præterea gaudebant nomine, docti
Non Tulli latices, non iudicialia ſcita,
Non res Socraticas, & Magni dogma Platonis
Verſabant, regni non ipſa negotia, totus
In patinis animus. crebra experimenta viciſſim
Cum facerent, noua debebat proponere victor
Tentamenta gulæ. coquus empti, & fartor amici.
Iamq; irrumpebant nimio faſtidia luxu;

Sedu-

Sedulitas ſat nulla artis, deforme palatum
Appetit aut Diuùm cœnas, aut cognita nulli.
Continuò venit in mentem conclaue ſub imo
(Scilicet hoc deerat) dapibus ſudare ſtruendis
Sponte ſua, teſtamq; manu tractare pudendam,
Torreſq;, tripodeſq;, & inunctæ dedecus ollæ;
Ac nihil infando ſtatuunt immergere ventri,
Siue foret malis pulſandum, ſiue bibendum,
Quod non curaſſent ſimùl ipſi, ipſiq; paraſſent.
Eligitur locus, & generoſæ ſcena palæſtræ,
Poſt ædes horti accliues, diuortia nota.
Iàmq; dies aderat, qua Turcam in bella vocarent.
Conueniunt lino præcincti, accenditur ignis,
Expediunt cultros, pingueſq; abdomine lumbos,
Pars in fruſta ſecant, & aheno flumine mergunt,
Pars verubus figunt, varijs conatibus vrgent
Quadrupedumq;, auiumq; genus; ſecluditur omnis
Teſtis; odor lucro eſt, hæc merces prima laboris
Iam nihil ad cœnam reliquum, niſi vina remotis
Rhætica de loculis afferri, aſſumq; reuolui
Cunctantèr lachrimans, pruniſq; rubentibus vri;
Tùnc ait inferior: duo ſunt, quæ munia, Princeps,
Nos ineunda manent, ea nos decet inter vtrumq;
Partiri, & longæ compendia quærere cœnæ;
Iam ſatis eſuriem collegimus, ille loquenti
Annuit, at veritus, ne ſi ad cellaria migret,
Obſeruetur ab ijs, qui limina fortè tuentur,
Reſtitit, incumbens verubuſq; adſedit ad ignem;
Exijt ad Bacchum ſocius; nemo oſtia curat.
Interea famuli, quia iam proceſſerat hora,
Coucurrunt, motoq; expectant cardine nutum,
Cum ridit inferior, manibus grauis amphora pēdet.
Vt ſe

Vt ſe deprenſum videt hic; quid ſtertitis? inquit,
Iampridem dominus magna vos voce vocabat.
Hæc dicens pandit foribus proſcenia pulſis;
Inſiliunt illi celeres, ſpectantq; perunctæ
Pellicis Alciden verſantem pollice fuſum.
Mutuus indè pudor; populi miſere cachinum.
Sic non conditio, non ſumptus guttura frœnat,
Atq; Auguſtales veneratur quiſq; chalendas.
Nam quis non etiàm delinimenta Lyæo
Ædificat? ſcabraq; niues accerſit ab Alpe?
Torreat, vt velit herbiferos canis igneus agros,
Luxuriant intra fauces ſub frigore vina.
Eſuriunt igitur gentes, & Roma catillat?
Obijcimus reliquis quæ nos feciſſe nequimus;
Cui non in cacabo lepus eſt, ſartagine rhombus,
Continuò ingluuiem Luculli damnat habentis;
Si fortuna ferat, non ille aut cymate viuat,
Aut conche eſuriem ſoletur ſiccus inerti.
Ne repete effœtum Lurconis nomen Apici,
Semen vbiquè manet, noſterq; bis mundus abundat;
Ne reuoca proauos, qua ſunt ætate nepotes.
Neu tua te ambitio veteres inſiſtere chartas
Suadeat; antiquis ea cognomenta poëtis
Vſurpata fuere, illius quæ tulit æui
Conditio, ſeu viuorum, ſeu fortè recenti
Funere quos eadem populi manus igne cremarat,
Degeneres agitante nota contingere mores.
At contrà totum latè bacchatur in orbem
Turpis auarities, & habendi infanda cupido.
Expolit Octauus Diuum delubra Britannus,
Nequuid cultorem, ſpectatoremq; moretur;
Commiſſos alij ſcelerata ad pignora capſæ,
Deglubunt populos; generoſo è ſtemmate nati

Pleriq; exhauſtis opibus, ſimùl ære grauati
Aut optant triſti caput inſertare cucullo,
Aut olere in ſepto vitam, ſiliquiſq; tueri,
Nudi mendicant obolos in tramite nati,
Aut matrem, & nulla domitam tentigine natam
Conciliant domino. ſunt qui ſe in prœlia Reges
Inÿciant vltrò, ſtultaq; libidine pugnent,
Tangere theſauros nolint, fert pondera ciuis,
Et ſua diſcerpi conducto à milite plorat.
Parte alia præfecti armis ditantur auari,
Ducunt obtentu bellum, prætoria fallunt
Linginqua, & proprio nutat ſub pondere Regnum.
Sub Turca interea iacet ingenioſa Corinthus
(Mitto quæ lachrymas valeant è rupe ciere)
Et fera Carthago, nothus eſt Argiuus, aduſtum
Inq; Arabem verſus, deportatiq; Latini,
Hauſtaq; flammiuomis à claſſibus oppida, noſtrum
It Bizantino ſignatum ſtigmate tergus.
Prædari hinc diſcunt, & rem ſtipare minores,
Necnon tantus amor nummi eſt, tàm dira cupido,
Naturæ vt ſua iura negent, ſua commoda vitæ.
Noui hominẽ Romæ haùd natũ, Romaue manentẽ,
Cui cenſus veteres onerabat mortuus vrnas
Fœnore quæſitus, læſoq; ad prandia ventre.
Ille æger, ſenſimq; animam de pectore ducens
Nulla ſenis Coi voluit ſibi pharmaca, nullos
Optauit ſuccos, ne viſcera tangeret arcæ,
Et minimis etiam quadranti, oboloq; pepercit;
Quandoquidèm nummos, ſiquandò extrema vocarẽt,
Seruandos aiebat. at hem, mors adfuit atra,
Extremos aurum fatuus ſeruauit ad vſus.
Porrò ad te, vates, tuaq; argumenta reuertor.
Dic, age, Saturni poſt regnum quæ loca, quæ non

Occupat ambitio? quibus à Regionibus orbis
Exulat? obſcuros certè penetrauit in agros,
Et iãm patritios inhiat Melibœus honores,
Non ea duntaxàt Tyberinis innatat vndis.
Tu quid ais? ſi dicta probas, contentio nulla eſt
Sin ſecùs, ignoras quæ ſint ab origine cauſæ;
Quæ, cum communes cunctis mortalibus extent,
Naturam inficiunt omnem, ſed ſingula noſti,
Immemorem tantùm reuocabo ad munia mentem.
Quæ nos eſuries decorum, qui ſenſus honorum
Exagitat, venis, animoq; inſerta cupido eſt;
Annoſum Pater omnipotens cùm condidit orbem,
Noſtros namq; ſua ſignauit imagine vultus:
Propterea Archetypo ſimilem ſe humana videri
Optat progenies re naturaliter ipſa.
Vidit materiam ſceleris proſcriptus Olympo
Tartareæ ex imo ſerpens habitator arenæ
(Nec dùm mors aderat, nec cœperat eſſe pudori
Speluncam Caci, Cacumq; patere furentem)
Et generi inſidias ſpecioſa ex arbore tendens
Suffecto. Vos magni eritis, ſimileſq; Deorum.
Clamauit. faſces ex illo optare ſuperbos
Quilibet, ac ſimilem non ſe putat eſſe Tonanti,
Ni datur imperio terras frænare patentes.
Nec mea me fallit ſententia, ſi valet vſus,
Et firmata locis longa experientia multis;
Scilicèt offenſo cerebro quicumq; laborant,
Et ſana de mente cadunt, ille Induperator,
Hic Rex, aſt alius Romana Præſul in aula eſt,
Et Vaticana mundum de rupe gubernat.
Se cuncti capita alta ferunt; natura loquentes
Vi mouet arcana, & victis ſedet ima medullis.
Teruè, quateruè ſui ſociorum inſtante corona,

Tùm Romæ, tùm quondàm alibi, quà publica cura,
Antycira melius, quàm non fecere vetuſtæ,
Cuſtodit fatuos, maniciſq;, & compede quiſquam,
Ceu canis abſtruſi cohibetur fornice tecti;
Nonnulli fuimus nupèr, quà decolor æuo
Antonina notis pulſatur, & imbre columna,
Talis vbiquè tenor, loca nil, nil tempora mutant.
Vnus erat gentis Calabræ de puluere cretus,
Cui neq; fundus agri, nec ſtratum vile, nec arca,
Deq; trucidatis in pugna paupere pannis
Prodibant ſcapulæ maturis ſolibus vſtæ;
Arbitror ad cliuos emendicaſſe parentem.
Hic tamèn, vt fuimus ſcitati nomen, & oram,
Vſſuncaſſanum conſtanti ſe ore ferebat.
Iamq; dabat leges, atq; Ottomanica Regna
Territa verboſis delebat funditùs armis;
Hæc memorans torua quatiebat fronte catenas.
Riſimus, & caſſos hominum deluſimus auſus.
Hoc de fonte cadunt tot tentamenta futuri;
Gens Præneſtinas repetebat Martia ſortes;
Delphicus hinc erat aſſiduè conſultus Apollo,
Indè fatigatus Lybicis in torribus Hammon;
Nàm quem non hominum luſit cortina bilingnis?
(Cæca ſuperſtitio) cui non exquiritur augur?
Teſſala delinitur anus, pretioq. paratur?
Chaldaiq; orbes, necnon Ægyptia ſacra?
Ambitione Deus colitur quoq; quis? rogo, quis non
Votiuas ſuperis in regnum deſtinet aras?
Hæc rex, hæc miles, docta hæc, indoctaq; turba.
Quinetiàm Phario terras, quæ fuſa per omnes
Littore peſtis abit fuſcatis improba malis,
Vltimaq; humani generis pro vate vocatur.
Necnon ſeu cerdo, clamoſæ aut verna tabernæ,

Siue etiàm ingenuus fœdo capit omen ab ore.
Quò magis aſtrorum ſtudeant ediſcere leges,
Et Peluſiaci proceris monumenta reuoluant,
Alphonſi tabulas, & ferramenta Tychonis,
Ac geneſes meditentur, & haùd reperibile punctum,
Inſcripto & numeris onerentur ſydere bulgæ?
Tantus amor tituli eſt, tamq; anxia cura futuri.
Et tamèn inſidias liquidæ quis deneget artis?
Dant vittas pretio, & vitas, dant funera lectis
Regibus; heu miſeri, nàm cum ſemèl omnis vbiq;
Occidat, hi vicibus moriuntur mille trecentis.
Tres mihi conatus laudari haùd poſſe videntur,
Vnus ſydereas ſcrutari fata per artes,
Quærere theſauros ima tellure ſecundus,
Tertius eſt aurum è volucri conflare metallo,
Quod ſi ſit ſtudio, frùſtra natura laborat.
Hæc tria ad belleborum mitto. ditiſſimus olim
Antinous pecorum, & glebas fertilis ibat;
Omnia per vitrum tenuem ſufflauit ad ignem;
Nùnc calamo viuens alienis exulat agris.
Flauia per Gallum nebulonem falſa ſub ædes
Tota nocte ruit fundamina, nactaq; inane,
Quo vaſtum condi pretium iurauerat index,
O' quàm alacris, quanto plauſu, nitente miniſtra
Miſit ſe in foſſam; quid tu? reperiſſe putaſne
Milleunes phialas, & patrimonia Crœſi?
Diuiſit liquidum, fœdauit ſtercore clunes.
Sic multa Gallus bis ſeno menſe moneta
Callidus irriſit gallinam ritè remunctam.
At de Chaldæis, quæ non tabulata queruntur?
Quòd ſi mi obijciant Ioſephi, Moſis, Abrami
Stellarum ſtudia, & curas, non indè petebant
Ii titulos, faſceſq; hominum, fallacia vota,

Sed quæ naturæ iuſſo ſub limite conſtant.
Quid verò? nùnc tu damnas, nùnc aſtra tueris;
His ſi das operam, non ſint mihi iurgia tecum,
Nàm me vulnifici mulctabis fuſte Planetæ,
Necnon damnabis mea triſtibus oſſa quadratis.
Ergò regnandi toto patet orbe libido;
R*imandiq; auges, & coniectoria trina.*
Quæ ſi labe Arabes, ſi Mauritana laborant
Oppida, ſi Celtæ, & Germania tota ſub Arcto;
Nec fugit Hiſpanus cœlum, qui poſſidet orbem,
Quid faciant Romæ, cui non adſciſcitur hæres?
Et quicumq; fuat cœno de paupere vulgi
In ſyluam ductare bouis aſſuetus, ad altos
Scandens ſæpè gradus ceruicibus imminet aureis?
Sic ea, quæ obiectas vni capitalia Romæ,
Crimina ſunt mundo communia, deq; remotis
Finibus egreſſa in diuerſæ prolis Adami
Colluuie tanta ad ſedes venere Latinas.
Quid laceras? quid dentem acuis? fruſtraq; laceſſis?
Quæris materiem verbis, ea cauſa furendi,
Vel quia non Tyrio graderis ſpectandus in oſtro,
Nec præes abluto ſeptem de collibus orbi,
Propterea exiſti in campos, atq; ocyma cantas.
Verùm non cunctis conceditur ire Corinthum;
Cætera pendere à meritis mortalia poſſunt,
Imperium fato datur, & cui Iuppiter auctor
Annuit; hic noſtro prælatos ordine cunctis
Pompeios reprobat, mòx dat regnare Philippos,
Paſtoreſq; ſuum, atq; inſtructos vomere Mauros.
Scilicet æternæ ſunt hæc ludibria dextræ:
Ritè tamèn ludendo etiàm, nec rem Deus vllam
Inconſultus agit, datur huic ad præmia ſceptrum,

Ad pœnas illi, gentiſue ad flagra ſuperbæ.
Iraſci magnis hinc donatoribus oſtri
Qui velit, inſano dicetur fabula vulgo,
Et ſi, triticeæ quà perſonat area Floræ
Tranſeat, excipiet crepitanti ſibila clune.
Nec verò qui purpureo reiectus ab albo,
Vt memoras, ceſſit generoſa percitus ira,
Laudatis abijt calcaribus, ocyùs illum
Pœnituit facti, cui non Antenoris hæres
Egregius quiſquam, non arriſere propinqui.
Hactenùs at dedimus, ſed non conceſſimus iſtas
Tot ſcelerum ſordes Latijs inſiſtere campis,
Nùnc eſt à caſtis abolendum dedecus oris,
Et tua pellendum mendacia. Scilicèt aræ,
Hìc ſurgunt dites, æquataq; machina cœlo
Templorum, ad cultum Diuum donaria feruent,
Munera magnanimũ Heroum, ſacra gaza profusè
Spargitur in miſeros, & Xenodochia ſancta;
Eſt procùl ambitio, ſola inſtat cura iuuandi.
Quod ſi quis paſſim valuas mendicat ad altas,
Et gemit in triuijs, id ſiuè libidine lucri
Præſtat ſponte ſua, gemino ſeu cardine mundi
Adueniens numerus theſauro præualet omni,
Nec ſtipe non cenſus minor eſt. Vos debile vulgus
Pellitis à veſtris laribus, dein carpimur ipſi;
Roma nè ſufficiat, queis non ſat maximus orbis?
At quis iuſtitiæ ſtudium deſideret vrbi,
Vt ſua quiſq; habeat, nec plebs oppreſſa fatbiſcat?
Quam clari, quam docti homines, oracula quorum
Caſibus in dubijs toto quæruntur ab orbe.
Sin fas ſacrilego quoquam ſub iudice nutet,
Vt quæuis regio de more hac peſte laborat,

Principibus quæ noxia fuat, quos multa latere
Accidit obductos nimia farragine rerum?
Quid memorem, quanta placent pietate Tonantẽ,
Quanta vim faciant ſuperis, & fulmina ſiſtant
Setigeri patres? auſi qui ponere mentis
Arbitrium propria, laqueataq; linquere tecta,
Et menſas, arctè viuunt, & ſimplici cultu,
Et loris cohibent Venerem; quid peſſima tandèm
Flagitia illorum, quos tu, vir ſancte, flagellas
Acritèr ante alios? ſcelus eſt tibi ſcilicet ingens
Et labor, & ſtudium, virtuſq; ex eſule ciuis.
Horum præſidio vitijs erepta iuuentus
Effugit & ganeas, atq; Aphrodiſia ſacra;
Alterius ſubuecta ſalus ad littora mundi
Vltra anni, Soliſq; vias, quos Magnus vterq;
Non adijt populos, Semeleia nec arma prehendit,
Primaq; per vaſtas horum felicitèr oras
Naſcentis fidei, lactantur ſanguine ſigna.
At quia ſic præſtant, odijs arſere minores
Vos autèm, ò Curij, vos dura fronte Catones,
Fas eſt ſeu Verres reprehendere, ſeu Catilinas;
Quippè locus quà deeſt opera interuertere, mentem
Arguitis; caſtos, ieiunaq; membra ferentes
Dicitis humanas patiendo quærere laudes
Ludentes pietate Deum; cyathoſq; pudicos,
Et multo fractos damnare haud parcitis amne;
Et vobis interpretibus peccaret Ioſeph,
Intereà attrita ſtat vobis cantharus anſa,
Ebria perpetuò ducuntur & Orgia Bacchi;
Vel ſub parietibus caſſum lugetis Adonim. (tis
Verùm agè, quandoquidèm vos hæc ſcelerata puta-
Noſtrorum capita ædituum, quo ſemine creti

Sunt

Sunt illi? nonnè humano? quibus orbis ab oris?
Nonnè adeò à veſtris? ab Moſa, ab flumine Rheno,
Ab Sicore, ab Nilo, gelidoq; ab Phaſidis amne?
Quid Romæ obtentu (nàm vix centeſimus ortus
Eſt Romæ) in veſtro graſſari ſanguine vultis?
Illos cum petitis; vobis infligitis ictus.
Prætereà veſtraſne ipſi cohibetis ad vnguem
Naturæ peccantis opes? eadem occupat illis
Vena latus, feruent igni præcordia eodem:
Quam veniam optatis, date; vel ſi creditis olli,
Qui morum eximius deſcendit ab æthere doctor,
Quin facitis quæ iuſta docent? ab ſorde cauetis
Obiectorum operum? non cœno ſquallet Apollo,
Nec lex infanda fœdatur labe miniſtri;
An quiſquam nolit nummos, quia læſa crumena eſt?
O' amor, ò pietas, ò noſtræ cura ſalutis
Sedulà ſcribentis Satyram, nos admonet iſte
Probris, quæ varias diſpergi curat in vrbes,
Ad rectam reuocat nos per conuicia frugem;
Suadendi hæc certè noua lex, noua forma medendi
Cum Deus orandus potiùs, ne ſiqua ſacrorum
Exerrant capita, abſiſtat ſua regna tueri,
Et ſanctam illorum ſpiret ſub pectore mentem;
Quam foret ex vſu populorum, publica nàm res
Tùm trepidat, tùm tota labat, caſumq; minatur,
Cum non exhorrent ſcelerum contagia myſtæ.
Sed quid ego? peccaſſe putabit me quoq; cenſor,
Sobrius haùd illi fuero, qui probra monenti
Obijciam, Satyra cum prima, cumq; ſecunda
Lectorem malaciſſet amicè, blandaq; demùm
Verba ferat, dulciq; animos lenimine purget.
Scilicèt hoc quoq; conandum fuerat tibi, poſtquàm

Nos caſtigaſti ferula corrector acerba,
Vt ſimùl illudas, Satyriſce, vel hirta Mineruam
Sus doceas, & noctis aues portentur Athenas.
Excute te, Roma, & dominos de corde ſuperbos
Euelle (hic lucernarum collega mearum
Continuò clamauit. quàm benè ſingula fecit;
Nempè notæ fuerant opus hic) interpres & alti
Dictatas dictas leges, agis atq; Solonem
Aut Moſem. mihi crede, nihil labor iſte neceſſe eſt;
Callemus leges, exleges plectere ſcimus,
Hoſq; adeò. temerè qui ſceptra in ſacra loquuntur;
Quanuis haùd ſemper placeat motare flagellum;
Quādoquidèm Omnipotens Pater, illas qui tulit, orbi
Præferri capita idcircò ſpirantia iuſſit,
Vt ſit qui ſpretas tueatur, ſæpè rigorem
Temperet, aut nimiùm blandis admiſceat iram,
Prout ratio rerum, necnon prudentia dictat.
Ergò tuum eſt ſacros apices venerarier vrbis,
Non malè perſpectos vibrare, & carpere mores;
Si venit hoc etenim cunctis regionibus vſu,
Poſtquàm diſtingui cœptum eſt diademate ciues,
Suſtineant vt ſæpè immanes regna tyrannos
Si paſſa eſt Phàlarim Trinacria, Sardanapalum
Aſſyria, Auſonius Totilam, Iudæus Herodem,
At poſt & Caios, & (nomina fœda) Nerones,
Atq; Heliogabalos, tot Auerni è ſulphure monſtra,
Roma ſtatum inuenit, quo non præſtantior alter.
Oderunt praui, quò non pertingere poſſunt,
Aut dominos fœda pro libertate recuſant;
Cum tamèn ipſe Deus mortali affulſerit ore,
Parendum vt doceat mortalibus; aſpice iam te;
HVNC DECET ESSE PROBVM, QVI VVLT
CENSERE PROPINQVOS.

AD ANTISATYRAM PERBREVES NOTAE.

Lectori ſal.

NOTAS addidimus, amice Lector, vt ſi quid Satyræ natura obſcurius attulerit, lucem inueniat, non vt Auctori faciamus iniuriã, qui nihil ſuis in ſcriptis diligentiùs curat, quàm vt aperta, & dilucida ſint. Cœterùm breuiſſimæ ſunt, & citra ambitionem conſcriptæ, ſed ad minuendum laborem duntaxàt tuum. Vtere, & vale.

Numerus verſum indicat.

1. *Mirabar, ni quiſquam eſſet.* Rationẽ primò affert, quarè Antiſatyræ ſcribendæ manu admouerit, ne temerè feciſſe videatur.
1. *Qui pollice poſtquàm.* Ad ſcribendum refertur, cum ingenij miniſtra ſit manus. Metonymia.
2. *Omne argumentum luſi.* Non ambitioſè dictum, ſed ad oſtendendam probitatem ſcriptoris, qui vni Satyræ dare operam recuſauerit.
4. *Fidem Dij veſtram.* Hunc titulum ex Plauto ſuæ Satyræ aduerſarius impoſuit.
7. *Hetruſca digiti prurigine gliſcunt.* Egregiè; A. enim Perſius Hetruſcus fuit, ortus Volaterris; & Hetruſci, vt plurimum acuti ſunt, atq; ad carpendum proni.
8. *Vrget mirus homo.* In hominem multa primò ad conflandam illi inuidiam, & fidem minuendam. Præceptum Rhetorum celebre. Hic verò de patria quæ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

rere incipit; etenim patria ad mores multum momenti affert.

9. *De grege Bezæ.* Theodorus Beza eruditus homo fuit, ſed hæreſi, & libidine infamis. Geneuæ diù vixit. Ita Horat. *Epicuri de grege porcum.*

13. *Natiuos metuit patriæ telluris amores.* Vnuſquiſq; enim patriam natura diligit. Cic. off. 1. Omnes omnium charitates patria vna complexa eſt. Itaq; impijſſimus quicumq; contra patriam ſurgit.

15. *Et parricidas deprendit Magnus in vrbe.* Legem Romæ de parricidis ampliſſimã tulit Pompeius Magnus, qui præſentem cauſam habuiſſe credendus eſt, cum alioqui parcus legum lator infinitũ aceruum legum redigere ad certam ſummã voluerit; ſed metu obtrectatorum ingentem gloriam prætermiſit, quæ fortaſsè diuino conſilio Chriſtiano Principi reſeruabatur, vt leges humanas digereret, qui ſecundum diuinas viueret.

17. *Sed ſit Campanus, an Afer.* Nationes certæ pro incertis. Synedoche. hoc eſt Italus, an exterus. Seu partes pro omnibus, Campanus pro cunctis Italis, Afer pro totis exteris. Tranſit autèm à quæſtione de patria ad quæſtionem de ſtudio, laboreq; Satyrographi, vt prauam ipſius voluntatem demonſtret.

24. *Non inuentoris ab Argo.* Archilochi, qui non Satyræ inuentor fuit, ſed Iambici carminis, quod apud antiquos Satyros frequentiſſimum. Horat.

Archilocum proprio rabies armauit Iambo.

27. *Cum Muſa cacaret.* Licentiã verborum huiuſmodi adeò requirit Satyra, vt ſine ipſis planè frigeſcat, & niſi malè oleat, non benè olet.

33. *Canit ore rotundo.* Horat. *Graijs dedit ore rotundo Muſa loqui.* Hoc eſt diſertè.

42. *Quæq; fluunt penſo ſtabuloſum ad lumen anili.* Alludit ad cõuẽtus nocturnos qui ruri habentur in caulis hyberno tempore, in Gallia præſertim Ciſalpina; vbi amores, maledicta, ioci, ſales.

46. *Montes parturire.* Tritum ex Horatio. Eſt autem aptè detortum ad rem præſentem.

56. *Calamus Varronis, & Acci.* Antiquæ videlicet dicendi formæ; vſurpat enim Auctor Acciũ Tragœdũ, & Varronem ſeu Attacinum, ſeu Marcum pro quocumque ſcriptorum antiquioris æui.

58. *Coruino meliùs, meliùſq; Secundo.* Meſſalla Coruinus Magnus orator fuit, Plinius Secundus Panegyricum Traiano dixit admodùm luculentũ, vt palàm eſt.

61. *Huic iam Lucili.* In notis ſe Satyrographus pro altero Lucilio venditat; quod hoc loco deridetur, cum de ſe vnuſquiſq; modeſtè ſentire, & loqui debeat.

62. *Vel ſummi eſt vatis Samio ex ſene tranſdita mens huic Pauoni.* Horum verborum hic eſt ſenſus. Vel alicuius ſummi Poëtæ anima iuxta Pythagoreorũ opinionem in hunc hominem transfuſa eſt, qui adeò ambitiosè ſuas laudes decantat, vt pauo oculatas ſuas plumas explicare ſolet ad pompam. Hũc pertinet Perſij verſus Sat. 6.

Mœonides quintus pauone ex Pythagoræo.

Ferunt quippè Pythagoram dicere ſolitũ, qua viuebat anima, eam olim in pauone fuiſſe, deinde in Euphorbum, qui bello Troiano interfuit, tranſmigraſſe; mox in Homerũ, atq; ab Homero in ipſum Pythagoram traiecìſſe. Poſt Pythagoram verò eandem in Ennium tranſiſſe fabulati poſteriores ſunt; quo pacto Ennius ad mentẽ Perſij à pauone quintus fuit. Trãſdita vox Cæſari familiaris.

64. *Victori Graio.* Alexandro Macedoni, qui Achilli vehementèr inuidit, propterea quòd Homerum nactus eſſet, qui res ab eo geſtas tàm egregiè decantauerat. Sciebat enim prudentiſſimus Imperator quantum accesſionis ex eo factum fuerit Achillis gloriæ nullo tempore interituræ. Videant porrò Principes quãti facere ſcriptores debeant, in quorum manu eorum memoria, ſiue bona, ſiue mala apud poſteros eſt.

66. *Æneæq; vias, & bella exhauſta.* Æneidem intellige, qua nimirùm errores Æneæ, ac bella in Latio geſta continentur.

77. *Doctum ſcandit ebur, & præceptoria roſtra.* Erant Romæ ex ebore maiorũ Magiſtratuum ſellæ curules. Addit doctum, vt magiſtralem ſuggeſtum intelligat. Sic præceptoria roſtra non è quibus, vt Romæ olim, ad Quirites ſermo haberetur, vel defuncti Principes laudarentur, vt à Cæſare Iulia amita C. Marij quondam vxor, à Caligula Tyberius, à Nerone Claudius; ſed pædagogus doceret adoleſcẽtulos. In his omnibus irriſio eſt.

81. *Annales forſan Voluſi.* Ex Catullo.

Annales Voluſi cacata charta.

Hoc eſt contemptiſſimum orationis genus.

87. *Minuit præſentia famam.* Ex Claudiano: amphibologicè verò accipi poteſt, vel nimirùm ironicè ipſum fama eſſe maiorem, vel præſentiam oſtendere leuitatem famæ, quæ hominem prædicauerit, qui re ipſa nihil ſit.

92. *Si captet ab Enni ſtercore.* Interrogatus Maro, quid ageret, cum fortè Ennium legere deprehenſus eſſet, reſpondit. Colligo aurum de ſtercore.

95. *Queis Numa cum populo ſabatur.* Totum hoc verbũ

apud

apud priſcos in vſu fuit, deinde multæ partes omiſſæ ſunt, neq; ſabatur à melioribus dictum vidi; atq; idcircò hic ponitur, vt exoletum. Ritè autem hic reprehenditur ſtudium huiuſmodi verborũ veterũ, quæ aſperam orationem faciunt, cum Tranſalpini vt plurimum ea in re ambitioſè peccent, neq; Itali deſint, quos eandem hæreſim ſequi minime pudeat. Quod ſi verba à vetuſtate repetita maieſtatem orationi afferunt, vt Quintilianus docet, at idem monet eſſe modum adhibendum.

97. *Sermone pedeſtri vtuntur.* Hoc eſt loquuntur vulgi more incultè, & humiliter. Horat. in Arte.

Et Tragicus plerumq; dolet ſermone pedeſtri.

Non eo ſenſu, quo pedeſtris oratio pro ſoluta accipitur, vt apud eundem Horatium.

Tuq; pedeſtribus
Dices hiſtorijs prælia Cæſaris.

100. *Annibal, aduerſus Romam.* Opportuna nominis communicatio; vtriuſq; enim tùm Annibalis, tùm Satyrographi irritus conatus fuit.

110. *Quæris ab Ægerijs.* Ab Ægeria Dea leges ſe accepiſſe in nemore Aricino Numa vulgauit, vt eis nimirùm veneratione, atq; obedientiam conciliaret. Sic Minos à Ioue.

112. *Quæ formæ veteres.* Cum ſuperiùs damnauerit Auctor ſermonis antiqui ſtudium, hic videtur aduerſari ſibi ipſi. At non ità ſe res habet; anteà quippè damnauerat antiquiſſimum, & exoletum, nùnc laudat antiquum quidèm reſpectu noſtri, ſed melioris ſeculi.

118. *Sed mihi quæſo.* Hoc primo vtitur argumẽto cõtra Satyrographi criminationes, probatq; ſi Romæ vitia ſunt, ea aliundè fuiſſe conuecta.

120. *Hic Saxo, hic Gallus*. Gentes certæ pro incertis, nonnullæ pro omnibus. Synedoche.

124. *Per bella, & faſces*. Romana conſuetudine, quæ bellorum, & Magiſtratuum occaſione vbiq; diffuſa eſt, barbaros cicures eſſe factos omnes Hiſtorici profitentur. Ita Iugurtha, Galli, Germani belli gerendi ritus à Romanis acceperunt. Ita Iuba Pompeiani Iubæ filius cultum, & literas, & alij multi. Idemq; tùnc integris ciuitatibus, & regnis vſuuenit, quod nùnc demùm in America, cuius populi Hiſpanos mores induerunt.

125. *Vos inuexiſtis contrà*. In hanc ſententiam ita ferè ſcribit S. Leo. [Roma diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectũ quicquid vſquàm fuerat vanis erroribus inſtitutũ.] Quod de ſuperſtitione dictũ, & de cœteris vitijs patet. Marcellus enim Siracuſis expugnatis, L. Mummius Corintho Capta ingẽtes Græcorum delicias vnà cum captiuis Romã tulere. Indè corruptio prima ciuitatis exorta eſt, cũ & res adeſſent, & ij, qui ijſdem vti docerent, atq; animos effeminarent. Peregrinos inductos mores damnat etiam Iuuenalis Sat. vi.

Nullum crimen abeſt, facinuſq; libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit; hinc fluxit ad Hiſtros,
Et Sybaris colles, hinc & Rhodos, atq; Miletos,
Atq; coronatum, & petulãs, madidumq; Tarentũ.
Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit.

Hiſtri quippè, & Sybaritæ populi fuerunt voluptatibus, quæcumq; corrumpunt bonos mores, vehemẽter addicti. Itaq; ab Hiſtris Hiſtriones dicti ſunt, quicumq; mimicam artem exercent: à *Sybaritis*, Sybariticæ deliciæ ſunt appellatæ.

127. *Hac non Dictator Cæſar*. Hoc addidit peſſimum Cæſar, vt barbaros etiam ignobiles, ac ſordidos homines, quorum opera in opprimenda patria vſus fuerat, in Senatum legere cœperit. Suet. in Cæſare, & alij. *Q*uarè Salluſtius indignatus, vt Anonimus in vita ipſius, Rempublicam deſeruit, atq; ad intermiſſa ſtudia reuerſus eſt. Cicero verò eàdẽ vt plurimum ex cauſa à Republica ſe abdicauit, quandiù Cæſar ſuperſtes fuit. Atq; hæc praua neceſſitas eſt, vt qui regna inuadere nullo iure velint, eos deinde euehere cogantur, qui cum indigni, ac perditi ſint, perniciem demùm rebus afferunt. Sen. Suaſ. 6. Senatum exhauſtum crudeliter, repletum turpiter.

133. *Tot iactans lauros*. Hic appingit Ruſticum glorioſũ, qui ab aratro fortè adſcitus in Senatũ tot comminiſcatur, & iactet ſuorum maiorum Magiſtratus, & triumphos; quot fuere aut Marij Conſulatus, aut Imperia Claudiæ familiæ, quæ in Iuliam adoptione allecta diù regnauit. Per lauros quippe triumphos intelligit, per ſecures Magiſtratus; ſecures enim ante Magiſtratus ſuperioris ordinis in faſcibus ferebantur.

135. *Criſpino decedit eunti in templa Metellus*. Hoc eſt ignobiliſſimo nobiliſſimus. Fuit autèm Criſpinus apud Domitianum in maxima gratia, atq; è ſeruo Ægyptio Eques Romanus factus eſt. Nomen celebre Iuuenali. Ità Horatius in Menam libertum Pompeij Magni.

Sedilibuſq; magnus in primis Eques
Othone contempto ſedet.

137. *Inde Corinthiaca diſcẽs à Laide mores*. Lais ſcortũ Corinthi pulcherrimum fuit, quò ex Sicilia commeauerat.

meauerat. Huic Demoſthenes decem drachmarũ millia petẽti reſpondit. [Pœnitere tãti non emo.]

138. *Et aëria ſe meridiana per vrbem*
Offert ancipiti matrona in veſte Neroni. Hæc conſtructio eſt horũ verborum. Matrona meridiana offert ſe in veſte aëria ancipiti Neroni per vrbem, videlicet eunti. Senſus autem. Matronæ per ipſam meridiem in vrbe Roma non erubeſcunt oſtendere ſe in tenuiſſima veſte,ac penè nudas amãtibus ſuis. Etenim Neronis tempora, vt ſcribit Seneca de Beneficijs,vſque adeò corrupta fuerunt,vt ſericæ fœminarum veſtes diaphanæ forent, & nihil matronæ haberent, quo defendi corpus, aut pudor poſſet. Itaq; ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo oſtẽdere poterant, quàm in publico loco. Ancipitem autèm idcircò appellat Neronem, quia vtraq; Venere delectabatur.

141. *Vel ſcelus Herculeo Cleopatra, vel vltio Mœcbo.* Antonium intellige, qui ſe ab Antone Herculis filio oriundum ferebat;ac propterea vt Græcus origine, Græco amictu per Græciam inceſſit. Vide Plutarchum in vita ipſius [*Vel*] autèm ſtat non diſiunctiuè, ſed copulatiuè. Cleopatra enim & diuortij cũ Octauia, & belli ciuilis cum Auguſto ſumma cauſa Triumuiro fuit, quæ illum oppidò perdiderunt. De ea in ſententiam defenſoris noſtri Lucanus.

Explicuitq; ſuos magno Cleopatra tumultu
Nondum tranſlatos Romana in ſecula luxus.

144. *Fabritius,ſulcoq, põtẽs Serranus,& enſe.* Virg.in 6.
Vel te ſulco, Serrane, ſerentem.
Fabritium autèm vſurpat Auctor,& Q.Cincinnatũ, qui propterea Serranus eſt appellatus, quod agrũ

ſereret,

ſereret, cum ad Dictaturam contra Volſcos, & Sabinos accitus eſt,pro quocumq; veterum,qui fortitudine, ac probitate rem Romanam amplificarunt. Hi etiàm magnopere laudantur à D. Auguſtino in lib. de Ciuitate Dei.

145. *Nondum Paſquilli violarat fercula Galli*. Coqui à principibus viris mercede conducti pleriq; omnes iampridèm Galli ſunt. Appellat autèm coquum Paſquillũ à quodam huius nominis, qui in hac arte maximè excelluit. Hypallage.

148. *Caſta parens, & caſta nurus ſub paupere tecto*
Mulcebant penſo vitã, calathiſq; Mineruæ. Iuuen.
(Sat. vi.

Præſtabat caſtas humilis fortuna Latinas
Quondàm, nec vitijs contingi parua ſinebat
Tecta labor, ſomniq; breues, & vellere Thuſco
Vexatæ, duræq; manus.

Salomonis verò matrona huiuſmodi eſt [Quæſiuit lanam,& linũ,& operata eſt conſilio manuũ ſuarũ.] Fuit etiam Romæ ad Pontem Cæſtium epitaphium Claudiæ primariæ fortaſsè mulieris, cuius extrema ſunt verba.

[Domum ſeruauit, lanam fecit.] Quibus è locis matronæ videre queunt, quæ earum conſilia, quæ ſtudia eſſe debeant.

150. *Et ſimplex, ſanctum*. Hoc eſt innocens, caſtum, ſic Virg.

Tuq; ò ſanctiſſima mater. pro caſtiſſima. Sic Tacitus de Liuia. [Sanctitate domus priſcum ad morem.] ſcilicet caſtitate. Etenim tàm difficilis continentia videtur eſſe, cum ſtimulus carnis nobis innatus ſit, vt quicumq; eam vnam ſeruat vulgò ſanctus habeatur. *Nec*

152. *Nec ſe cognoſcit in ipſa.* Eleganter Ianus Vitalis in Epigrammate.

Et Romam in Roma non reperis media.

153. *Quis verò ſiue ad Boream.* Secundam rationem aggreditur aduerſus Satyrographi maledicta; atq; adhùc permittens omnia vitiorum genera Romæ eſſe, diſertè oſtendit ijſdem noxis grauiſsimè vbiq; gentium peccari.

155. *Eccui de pomo, quo nos natalia Tempe. Captarunt auidos prurigo egreſſa pepercit?* Tempe mõtes in Teſſalia olim amœniſſimi; ſed hic pro Paradiſo voluptatis accipiuntur, in quo humani generis incunabula. Prurigo egreſſa de pomo, fomes eſt, qui à peccato primi parentis in natura relictus omnem poſteritatem inclinat ad malum. [Eramus quippè omnes in lumbis Adæ, in quo omnes peccauerunt] vt docet D. Paulus.

158. *Vix Ephori coniux.* Ephori apud Lacedæmonios Magiſtratus fuere maximæ auctoritatis ad tuẽdam plebem aduerſùs Reges inſtituti, quos etiàm quandoq; eijciebant. Cuiuſmodi ferè Romæ fuerũt aduerſus Conſules Tribuni plebis. Hic verò pro quocumq; viro primario, aut Principe poſiti ſunt.

159. *Argento ſoleas regina recuſſo.* Imò etiàm reginæ vicaria in Regno haud procùl ſito. Poppæã quoq; Neronis pellicem equis carpentum ſuum trahentibus ſoleas ex auro feciſſe vulgatum eſt. Quæ res cũ craticula, & matella Trimalcionis conferri poſſunt.

167. *Ductilis ædes.* Currus, & quadrigas intelligit, quæ hodie fiunt tanto ſumptu, vt ſtabiles domos pretio ſuperent.

170. *Ardet Quartillam.* Hoc eſt abiectiſsimã meretriculam;

culam ; Quartilla enim apud Arbitrum eiuſmodi fuit, neq; ſe vnquàm fuiſſe virginem meminit. Videmus quippè homines alioquin nobiles, & delicatos, quos ea verba [bene lotus] indigitant, ad viliſsima ſcorta diuertere, ac perditè ſequi fœdiſſimum genus.

172. *Faciles ſi traxit Cincia mœchos.* Cincia ꝓ quolibet ſcorto inſigni per hypallagen, vt multa ſuprà. Cincia verò ſuperioribus annis meretrix molliſsima Romæ fuit, quę non modò deſides, inerteſq; homines, ſed Iureconſultos maximos, & Poëtas eximios mirificè deliniuit.

174. *Non Ithaci coniux, non quæ fuit vrna marito.* Penelope Vliſſis Ithacenſis vxor, Artemiſia Mauſoli Cariæ Regis, caſtiſſimæ.

175. *Iàm retrahat fatuum lucroſo ab fornice cunnum.* Libidinem ſimùl notat, & auaritiam. Ignoſcat verò pudicus lector licentiæ verborum huiuſmodi, quæ Satyræ natura, atq; anima ſunt, atq; ideò Satyrus à priſcis in Tragœdiã inductus. At ne ſacræ quidèm literæ à vocibus abhorruerunt eas res ſignificantibus, quas Natura facere non erubuit. Quodcumq; adaperiens vuluam ſanctum Domino vocabitur.

177. *Et ſellas hodiè faciunt.* Tacit. Annal. vi. Tum primùm ignota antè vocabula reperta ſunt Sellariorũ, & Spintriarum ex fœditate loci, & multiplici patiẽtia. Idem ferè Suet. in Tyberio. Vide Turnobum; res enim adeò obſcænas hic referre non eſt neceſſe.

179. *Nec tu fugiſſes forſàn.* Retorquet in Satyrographũ quod ille falsò alijs obiecerat; acutè tamèn, & cum ſale.

183. *Nec timuere polos memores fandi, atq; nefãdi.* Virg.
At ſperate Deos memores fandi, atq; nefandi.

184. *Seiunčta Britãnia cœlo*. Henricus viij. Angliæ Rex Catherinæ Aragoniæ iuſtæ vxori repudium dedit; Annam Boleniam pellicem,& fortaſsè filiam duxit. Itaq; anathemate percuſſus ſe à Romanæ Eccleſiæ iure abdicauit.

187. *Quos faciant rerum dominos dotalia bella*. Lucanus

Quem facerent mundi dominum ciuilia bella.

Ritè dotalia, nàm dos è Iureconſultis pars eſt contractus matrimonij; at hoc loco pars pro toto, quod duplici ratione accipiendum; nam vel matrimonialia appellare licet hæc bella, ex eo, quòd eorum origo,& fons à pluribus annis è dotibus, & hæreditatibus matrimoniorũ cauſa fluat; vel quòd à peccatis in matrimonia commiſſis dependeant. Prima ratio ſecundas cauſas, & conſilia hominũ reſpicit; ſecunda diuinã vltionem, ad quam referre omnem Politicam neceſſe eſt.

189. *Fatidicum frangat*. Manto Tyreſiæ Thebani Vatis filia fatidica fuit, & patria profuga Ocnum peperit, qui Mantuam ædificauit. Virg.

Fatidicæ Mantus, & Thuſci filius amnis.

Eiq; à parentis nomine nomen indidit.

191. *Colchi teſtes,& Gnoſſia tellus*. Medæam Colchidem Iaſon, Ariadnam Gnoſſiam Theſeus ſpecie matrimonij deceptas deſeruere. Qui habet aures audiẽdi audiat.

194. *Quanti emitis lenonem*. Elegantèr tranſlatum ab vno ſenſu ad alium, à rebus Venereis ad crapulam.

195. *Qui pingui colligat orbe*. Vulgò [Paſticcio] in quẽ omnium iam rerum congeriem infarciunt.

197. *Non tanti eſt flamen*. Flamines apud Romanos Sacerdotes dicti ſunt, Diales, Martiales, Quirinales,

Augu-

Auguſtales iuxta Numina, quorum cultui addicti erant. Iis autem faba veſci nefas eſſe Varro eſt auctor, fortaſsè ex ſuperſtitione Pythagorea. Quod nobis ad documentum valeat, ne animas nimirum eorum deuoremus, quorum legatis haud ſatisfacimus; ſeu quia faba ventoſa eſt, ne ſuperbia, atq; ambitione inflemur. De Flaminibus vide Lætum, & Feneſtellã. Hic pro Sacerdotibus noſtris accipiuntur.

212. *Et pulpamenta culinæ.* Terent. Lepus tute es, & pulpamentum quæris? obſoniũ ſcilicet lautiſſimũ.

218. *Totus in patinis animus.* Item ex Terẽtio, neq; explicatione, aut animaduerſione indiget.

224. *Diuum cœnas.* Deorum conuiuia Græcorum fabulis celebrata.

233. *Diuortia nota.* Eſt Virg. à diuertendo, quòd diuortere priſci dixerunt.

234. *Quæ Turcam in bella vocarent.* Irriſio, affinis illi, quæ in cauſa ſimili apud Iuuenalem Sat. 4.

Surgitur, & miſſo proceres exire iubentur
Concilio, quos Albanam Dux magnus in artem
Traxerat attonitos, & feſtinare coactos,
Tanquàm de Geticis aliquid, toruiſq; Sicambris
Dicturus.

247. *Iam ſatis eſuriem collegimus.* Quæ nimirùm creſcente hora incrementum acceperat. Metaphora à colligendis lignis, ſpicis, atq. alijs huiuſmodi rebus, quæ manu, & ſucceſſiuo tempore cõgregantur. Quidpiam ſimile dedit etiam Satyrographus.

Iuppiter, anne vides, & longam colligis iram?
Suo autèm periculo dedit; experiatur enim aliquãdò neceſſe eſt, quàm pernicioſum ſit illud contemnere diuinum edictum [Nolite tangere Chriſtos

C meos,

meos,& in Prophetis meis nolite m'li ;nari.] Quãtamq; iram colligant in animo Numinis,qui talia agunt.

258. *Spectantq; perunctæ*

Pellicis Alciden verſantem pollice fuſum.

Herculem enim Ioles amaſiæ penſum duxiſſe fabulantur, dùm ipſa Herculis clauam manu tractaret. Amaſia, ſeu pellex perun&a culina, ſeu crapula.

262. *Atq; Auguſtales veneratur quiſq; calen las.* Cal: Auguſti Romæ olim ex Dione equeſtria certamina celebrari ſolebant, propterea quòd eo die ædes Martis fuerat conſecrata. Nùnc eodem die Chriſtiani parùm laudata conſuetudine amplis epulis,& vino madent. Quæ res nullam planè habent inter ſe affinitatem, vt hæc ex illa ortum duxiſſe videatur. Niſi fortè dicere velimus, cum in maximo anni æſtu ludi, & ſpectacula huiuſmodi fierent, ad mitigandã ſitim largiſſimè bibere neceſſe fuiſſe. Itaq; ludi ſublati, compotationes manſere.

270. *Ingluuiem Luculli damnat habentis.* L. Lucullus inter Romanos & literis, & armis clariſſimus omne eduliorum genus ad delicias, & ambitionem domi habuit,eoq; apparatu, & lautitijs conuiuia celebrauit, atq; incultu corporis nimius fuit, vt togatus Xerſes appellaretur. Ferunt autem cum Pompeius aduerſa valetudine conflictaretur, neq; turdi, quos ægro medicus commendauerat, media æſtate, niſi penes Lucullum reperirentur, vetuiſſe Pompeium, ne ab ipſo peterentur, ſubdens. Pompeius igitùr, non viueret, niſi Lucullus delicijs operam daret? Vide Plutarchum, & alios.

271. *Lurconis nomen Apici.* Apicius omnium helluonũ

antiquæ

antiquæ ætatis facilè princeps ampliſsimum patrimonium, congiaria, vectigaliaq; ingurgitauit,& deſgulæ irritamentis volumen edidit. Tandèm, cum omnia ferè deuoraſſet, laqueo, ſeu veneno ſpontè hauſto, vt Martiali placet, vitam finiuit. Vixiſſe egregiũ hunc hominẽ ſuo tempore ſcribit Seneca.

284. *Expolit Octauus.* Henricus viij. de quo ſuprà, Angliæ Rex templa Diuorum omnia ſacrilega manu diripuit.

289. *Triſti caput inſertare cucullo.* Vel quod faciat triſtes, vel graui, & ſeuero.

300. *Ingenioſa Corintbus.* In qua nimirùm opera formabãtur ad luxum ingenioſiſſima,& longe pulcherrima; ex quo factum eſt, vt Corinthia vaſa, Corinthium æs, vti lauta, & ſplendida celebrarentur. Hac deuicta magnas opes, ſigna, tabulas L. Mummius Romam tulit, prout ſuprà memorauimus.

301. *Mitto quæ valeant lachrymas è rupe ciere.* Innuit Terram Sanctam,& Chriſti Domini natale, & mortale ſolum.

310. *Cui cenſus veteres onerabat mortuus vrnas.* Cenſus pro nummo. Mortuus, quod vuulgò dicunt, quia nullum fructum reddebat. Vrnas verò appellat arcas, vt perſiſtat in metaphora mortuorum.

313. *Senis Coi.* Hipocratis medicorum principis ex inſula Coo, quæ Cycladum vna eſt.

323. *Patritios inbiat Melibœus honores.* Vilis nimirùm paſtor, & ruſticus. Melibœus autèm ſtat pro quocumq; huiuſmodi homine.

333. *Noſtros namq; ſua ſignauit imagine vultus.* Faciamus hominem ad imaginẽ,& ſimilitudinem noſtrã, inquit Deus per Moyſem. [Signatum eſt ſuper nos

 lumen

lumen vultus tui, Domine] canit Dauid. Quæ^n^ã verò hæc imago diuina ſit, & ſimilitudo quæritur inter Theologos. Sed ſatis liquet in mente conſiſtere, prout D.Thom p.p.q. 93. art.6. per modum imaginis; in cæteris autem partibus per modum veſtigij. Porrò in intellectu imago huiuſmodi potiſſimum eſt; nulla enim re ad Dei ſimilitudinem propiùs accedimus, quàm quòd ratione vtimur, & intelligimus. Tres etiàm ſuperiores potentiæ per quandam repræſentationem exprimunt ſanctiſſimã Diuinarum Perſonarum Trinitatem, earumq; modos, & ſpirationes. Perficitur autem hæc ſimilitudo virtutibus, & rectè factis. At Dæmon deceptũ hominem ita imbuit, vt ſe per Imperia, & dominationes Deo ſimilẽ perfectè fieri opinetur. Quod innuere videtur Regius Pſaltes iux.D.Bernardi ſententiã, cum ait. [Vt quid diligitis vanitatẽ, & quæritis mendacium?] Mendacium quippè maximum eſt à dominatione Diuinam pendere ſimilitudinẽ. Quod ſi obijcias Diabolum non ſuggeſſiſſe appetentiam dominationis, ſed ſcientiæ, atq; in hac Dei ſimilitudinem collocaſſe; Reſpõdetur ſatis eſſe ad ſuperbiam quoquo modo ſollicitaſſe; de ſcientia verò expreſsè fuiſſe locutum, quià minùs inuidioſum eſt multa ſcire, quàm cæteris dominari; cum per ſcientiam nemini faciamus iniuriam; per dominationem autèm non itèm, qua cum pares nobis premuntur, ij iniuriam accipere ſibi videntur; procedente verò tempore, factò iàm vulnere, poteſtatis etiàm libidinem mortalibus inſpiraſſe putandũ videtur, quod in Caimo, & poſt Diluuium Nembrothe ſpectatum eſt. Niſi fortè affirmare cum Caietano velimus nõ

ea tantùm verba dixiſſe ſerpentem Euæ, ſed alia complura, quæ Moyſes breuitatis cauſa prodere ſuperſedit, atq; in ijs inſinuaſſe dominationem. Cui quidèm rei D. Auguſt. lib. 2. in Gen. ad lit. adſtipulatur; inquit enim. *Quomodò verbis crederet mulier ſerpentis à bona, atq; vtili re diuinitùs ſe fuiſſe prohibitã, niſi iàm ineſſet menti eius amor propriæ poteſtatis?* Igitùr potentiã, & dominationẽ ſuaſit. Eſtq; adeò veriſimile ipſum Dęmonem, vt hominem à magnitudine ſua deijceret, illum ad id peccati genus ſollicitaſſe, cuius ipſe vi à ſua gloria deiectus fuerat. Satis autèm liquidò conſtat ipſum à Deo voluiſſe deficere, ac proindè appetijſſe dominationem; Ait enim [Exaltabo ſolium meum] ſolium verò dominantis eſt. Quæ ſatis dicta ſint ad oſtendendã auctoris ſentẽtiã ſatis firmo fundamẽto niti.

339. *Speluncam Caci*. Elegãtèr Virgilij fabula, & verbis in alium ſenſum detortis velat obſcœnitatem.

345. *Nec mea me fallit ſententia*. Sententiã ſuam, appetitum nimirùm propriæ magnitudinis, & excellẽtiæ naturalem eſſe, ſed naturæ corruptæ, ratione cõfirmat experientia probata; amiſſo enim per inſaniã vſu rationis, natura nullo frœno coërcita ſuos ſenſus ſpontè aperit, & remoto pudore, ac metu dominationes vt plurimum ſonat. Ex quo fit, vt quicumq; magnum facinus cogitet, vulgò dicatur inſanire. Talis Dario videbatur Alexander, qui Oriẽtis Imperium armis petebat. Talis anteriore ſeculo Columbus, qui de nouis terris in Oceani vorticibus aperiendis in Hiſpaniarum Regis aula diſſerebat. In ore ſtulti virga ſuperbiæ. Prou. 14.

355. *Anticyra melius*. Anticyra inſula eſt ad Meleacum

ſinum, vbi helleborum optimum, & copioſum, cuius ope eò delati fatui pleriq; ſanabantur. Itaq; veteres, cum dementem quempiam dicere volebant, eundem ad Anticyram confirmato prouerbio mittebant. Vide Plinium lib. 15.

363. *Deq trucidatis in pugna paupere pannis.* Sẽſus eſt, illum cum paupertate pugnandò veſtimenta dilaceraſſe. Metaphora, quæ cõmuni adagio vulgi nititur.

367. *Vſſuncaſſanum.* Perſarum Regem tempore Calixti iij. bellicoſiſſimum, qui res Ottomanicas armis afflixit, & quadringenta Turcarum millia pluribus prælijs cecidit.

373. *Gens Præneſtinas.* Præneſtinæ ſortes, Apollinis Delphici, & Iouis Hammonis oraculi inſigniora antiquis fuere ad diuinandum loca. Hic verò pro omnibus vſurpantur.

376. *Cortina bilinguis.* Hoc eſt duplici, & amphibologico ſenſu loquens. Vt

Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.

Erat autem cortina tripus, vel æneus, vel aureus, ex quo reſponſa ferebantur.

379 *Chaldæiq; orbes.* Circuli virga ducti, quibus Chaldæi, atq; Arabes Magicis artibus plerumq; addicti ad inuocanda præſidia Dæmonum, ciendaſq; vaticinationes vtebantur.

379. *Ægyptia ſacra.* Necromantiam precipuè intelligit. Ægyptij enim inter cæteras ſuperſtitiones, impietateſq; hanc colebant, vt à corporibus mortuorum quaſi excitatis ab inferis animabus res futuras exigerent. Tale quid eſt in 6. Heliod. de Hiſt. Æthiop. Tale, quamquam cadauere non adhibito, in 1. Reg., cum inſtante Saule Pythoniſſa Samuelem ab inferis euocauit.

euocauit. Neq; verò abs re fuerit Epigramma antiquum in hanc ſententiam ſubijcere, quo nihil elegantiùs eſſe poteſt, nihil argutiùs.

Fata per humanas ſolitus cognoſcere fibras
Impius infanda relligione Sapor.
Pectoris ingenui ſalientia viſcera flammis
Impoſuit, magico carmine rūpit humum,
Auſus ab Elyſijs Pompeium ducere campis,
Proh pudor, hoc ſacrum Magnus, vt aſpiceret.
Stulte, quid Infernis Pompeiū quæris in vmbris?
Non potuit terris ſpiritus ille premi.

Luculentā Necromantiā expreſſit etiàm Antiſatyræ noſter Auctor in Matrona Badenſi cum documēto, vt flagitium deteſtemur.

383. *Quinetiàm Phario terras.* Zingaras vulgò dicunt deſpectiſſimas prorſu fœminas, quæ idcircò errare ſe per orbem terrarum egentiſſimas, & nullo poſſe loco conſiſtere fabulantur, quòd Virginem Deiparam fugientem in Ægyptum recipere hoſpitio noluerint. De ijs fusè poſt alios Martinus del Rio in aureo ſuo illo Diſquiſitionum Magicarū volumine.

389. *Peluſiaci proceris.* Ptolomæi Ægyptij Aſtrologorū Principis.

390. *Ferramenta Tychonis.* Tychonem Danum Aſtrologum maximum inſtrumentis, & machinis ad artē ſpectantibus nauiter vſum fuiſſe notum eſt, & quaſdam etiam adinueniſſe.

391. *Haud reperibile punctum.* Scilicèt natiuitatis, quòd inuenire difficillimum planè eſt, vt D. etiàm Baſilius demonſtrat Hom. in Gen. 6. Eò autem nō inuento, neſcio quid boni ex arte manare poſſit, cum affectionem, ſi qua eſt, fieri in inſtanti neceſſe ſit; quod

etiam Aſtrologi cōfitentur; inquiunt enim, vt idem Baſil. refert, qui hoc momento natus ſit, magnum, atq; opulentum Principem, exempli cauſa, futurum eſſe, qui ſequenti, mendicum, & vilem hominem. Et ratio quidem grauiſſima eſt, cum tanta ſit velocitas cœli, vt breuiſſimo tēporis ſpatio conuerſio maxima ſtellarū fiat. Sed de his habes ampliſſima apud Picū Mirandulæ Principem, Sauonarolam, Pereriū, Angelium, qui contra Aſtrologos acerrimè diſputarunt, & magna volumina condiderunt.

391. *Inſcripto & numeris onerentur ſydere Bulgæ.* Ferè quid ſimile apud Plautū in Pænulo eſt; literatas quippè fictiles epiſtolas appellat eas vini lagenas, quibus nomina cuiuſcūq; generis vini ſuperſcripta ſunt. Itá fermè hoc loco, ſydere inſcripto numeris.

394. *Liquidæ quis deneget artis.* Vanæ videlicet, leuis, fallacis.

395. *Dant vittas.* Mitras intellige, atq; infulas Epiſcoporum, vittæ enim ad Sacerdotalem cultum pertinent. De Laocoonte Virg.

Perfuſus ſanie vittas, atroq; veneno.

395. *Lectis Regibus.* Hoc eſt Principibus, qui electione creantur, quorū in primis geneſes rimantur Aſtrologi, & diem mortis quærunt, vt rem illis gratam faciant, qui in eorum locum ſubſtitui cupiunt.

399. *Scrutari fata.* Non mortem ſolam, ſed quæcumq; alia homini contingere debeant in vita.

401. *Volucri conflare metallo.* Volucri pro euaneſcente, nihil enim citiùs euaneſcit argento viuo. Hic verò Auctor non importunè digreditur ea licentia, quam Satyra tribuit, ad tria damnanda huiuſmodi ſtudia, in quibus nulla certitudo, nulla vtilitas, at maxima

leuitas,

leuitas, fallaciaq; eſt.

406. *Calamo viuens.* Mercede nimirùm, quam ſcribẽdo conſequitur. Hypallage.

412. *Patrimonia Crœſi.* Hoc eſt opulentiſſimos theſauros; nàm Crœſus Rex ditiſſimus Lydorum fuit.

416. *De Chaldæis quæ non tabulata quæruntur.* In quibus nempè locis homines de Aſtrologis non querũtur, quorũ irritis prædictionibus decepti fuerunt? Hi autem Genethliaci Chaldæi appellãtur, propterea quòd ea natio idm indè ab initio obſeruationibus ſyderum operam nauat.

417. *Ioſephi, Moſis, Abrami.* Tres hi ſanctiſſimi Patriarchæ eximij Aſtrologi fuerunt, & Aſtrologiam inter cœtera docuerunt Ægyptios; non autèm Iudiciariam, ſed Naturalem, quæ agrorum culturæ, medicinæ, & nauigatoriæ arti inſeruit. Hac de re doctiſſimus Pererius diſertiſſimè agit in Geneſim.

421. *Nùnc tu damnas, nùnc aſtra tueris:* In Satyra videtur Satyrographus Aſtrologis aduerſari, in Notis fauere. Rectè igitùr noſter interrogat quænam ſit verè ipſius ſententia, vt ſciat quomodò ſe habere debeat; ironicè tamèn, nec ſine ſalibus.

424. *Mea triſtibus oſſa quadratis.* Quadrata quippè ſuperiorum Planetarũ, Saturni præſertim, & Martis verentur Aſtrologi vehementer, & fatalia ducunt.

426. *Auges, & coniectoria trina.* Auges ſuperiores partes orbium Planetarũ ſunt. è trinis autèm aliquãdò bona oriri dicũt, quã præſertim intereſt Venus, Sol, Iuppiter, benefica ſydera.

429. *Qui poſſidet orbem.* Non quòd Hiſpaniarum Rex totũ poſſideat orbem terrarũ, ſed quod eundem ſua ſemper in ditione poſſit ambire, cũ vniuerſa Oceani

Atlantici nauigatio ad ipſum pertineat. Ambijt autèm Io. Sebaſtianus Canus, cuius nauis, quæ propterea Victoria eſt appellata, pro miraculo habita eſt. De hac Fracaſt. Syph. iij.

Et canat (auditum quod vix ventientia credant
Secula) quodcumq; Oceani complectitur æquor
Ingens omne vna obitum, menſumq; carina.

439. *Quæris materiem verbis.* Quantum coniectura cōſequi fas eſt, cum diligentem, & copioſum verborū delectum Satyrographus habuiſſet, res deindè quæſiuit, quas ijs verbis explicaret, & prout hoc, aut illud audiuit, ſic expreſſit, non continuo quidèm ſtylo, ac tempore, ſed intermiſſo. Quamobrèm cum tractus aliquis alio nobilior ſit, deſiderari videtur æqualitas poſſe. Nemo autèm meo iudicio rectè ſcribet, qui res dictionibus aptauerit, cum contrà eſſe debeat. Itaq; multa ſcire ſcriptorem oportet, ac niſi naturam rerum, & vim verborum probè intellexerit, nullus erit.

441. *Abluto ſeptem de collibus orbi.* Hoc eſt Baptiſmo ſalutari luſtrato, & Chriſto addicto.

442. *Ocyma cantas.* Retortum in Satyrographum, qui eodem ſcommatiſmo vſus fuerat; id eſt, maledicis.

445. *Imperium fato datur.* Diuina ſcilicèt voluntate. Sunt autèm verba Titi Cæſaris apud Suetonium ad quoſdā, quos contra ſe coniuraſſe deprehenderat; adeò verò clemens fuit, vt nullo reos ſupplicio mulctauerit.

445. *Cui Iuppiter auctor.* Pro Deo accipitur, nàm Iouē fuiſſe antiquiſsimam Dei appellationē inquit Steuchus de perenni Philoſophia; nimirùm à iuuando.

447. *Pompeios reprobat.* Pompeius Romanorū Principū

in Republica libera præſtantiſſimus, & ſummis virtutibus præditus, ad Imperium tamen non eſt euectus. Imperarunt autem ſecutis temporibus Philippi Arabes ruſtici, Macrinus Maurus agricola, Iuſtinus Thrax, qui ſuum cuſtos fuerat, atq; alij obſcuriſſimis natalibus, nulla virtute. Pompeij verò partibus fauet Auctor vehementer, quippè qui etiam ipſius defenſionem ſeptem Actionibus Academicis diligentiſsimè perfecit. Quocirca cum & recentem Romæ defenſionem addiderit, quaſi fato lectus, videat illa qualem homini gratiam referre debeat, qui tum antiquam libertatem, tum præſentem probitatem tanto ſtudio tuendas ſuſcepit.

450. *Ritè tamèn ludendo etiam*. Alludit ad illud, quod in Prou. Salomon diſſerit de Sapientia. Ludens corā eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.

452. *Gentiſue ad flagra ſuperba*. Hæc communiſsima Theologorū ſententia eſt, malos Principes ad ſupplicium malorum à Deo permitti, quod & innuit ipſe, cum ait. Dabo vobis Regem puerum; hoc eſt ratione minimè vtentem, ſed cui ſit pro lege volūtas, imò libido, & ſenſuum ductu regatur.

455. *Triticeæ qua perſonat area Floræ*. Romæ in area Campi Floræ triticum venale habetur; tantaq; ibi eſt impotentia cerdonum, vt nemo ferè ſine conuicio, atq; exſibilatione tranſire valeat.

457. *Purpureo reiectus ab albo*. Hoc eſt à libello, vbi purpurati Principes deſcribuntur.

459. *Laudatis abijt calcaribus*. Non indecorè pro laudata diſceſsione.

462. *Hactenùs at dedimus*. Dato hucuſq;, & non conceſſo, quod Satyrographus obiectauerat, nùnc alteram

teram reſponſionis partem aggreditur, quæ confutatione continetur. Confutat autèm cõtraria afferendo, oſtendendoq; qualia, & quanta pietatis opera Romani proceres aſsiduè præſtent.

473. *Gemino ſeu cardine mundi*. Hic etiàm obiecta retorquet in aduerſarium, & diſertè probat multitudinem pauperum tantã ab exteris regionibus proficiſci, vt Roma ſatis alendo minimè ſit.

485. *Quos multa latere*
Accidit obductos nimia farragine rerum. Cum Iethro Madianitarum Sacerdos generũ ſuum Moyſem comperiſſet iudicijs immenſi populi defatigari, auctor ei fuit, vt minores Magiſtratus conſtitueret, qui huiuſmodi iudicijs operam darent, ipſe rebus ſe grauioribus reſeruaret. Quarè cum Princeps ſingulis Tribunalibus adeſſe nequeat, ſatis eſt ſi bonos iudices deligere curet. Quod ſi adhibita diligentia decipitur, & alicui fit iniuria, culpa ipſe profectò vacat.

488. *Setigeri patres*. Monachi, qui cilicio corpus affligũt.

496. *Aphrodiſia ſacra*. Venerea ſtudia; nàm Aphrodite Venus eſt.

498. *Vltra anni, Soliſq; vias*. Ex Virg. hyperbole ad demonſtrandam regionum longinquitatem.

498. *Quos Magnus vterq;*
Non adijt populos, Semeleia nec arma. Alexander, Pompeius, Bacchus qui ad Orientem, Septentrionemq; longiſſimè proceſſerunt.

505. *Quippè locus quà deeſt*. Peſſimum eorum ſcelus eſt, qui cum opera damnare nequeant mentẽ facientis iniquiùs interpretantur. Quorum è numero fuerũt illi, qui Chriſtum Dominum in Beelzebub Dæmonia

eijcere

eijcere blaſphæmarunt. Quapropter magnas aduerſus eoſdem comminationes Luc. xj. videre eſt, quæ à flagitio mortales deterreant.

508. *Ludentes pietate Deum*. In Satyra eſt. [Rapturi pietate Deum.] Quod ironicè de religioſis quibuſdam hominibus Satyrographus dixerat, ex eo Euãgelij loco fortaſsè deductum. [Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.] Retorquet autem hoc quoq; Auctor in aduerſarium nõ minùs aptè, quàm opportunè.

508. *Cyathoſq; pudicos*. Hoc eſt vinum benè dilutum, nàm ſine Cerere, & Baccho friget Venus.

511. *Attrita ſtat vobis cantharus anſa*. Elegantèr ex Virgilio.

Et grauis attrita pendebat cantharus anſa.

513. *Caſſum lugetis Adonim*. Caſſum, hoc eſt vanum, ſeu mauis mortuum, vt Virg. de Palamede.

Nùnc caſſum lumine lugent.

Quod ab Ezechiele deſumptum eſt, qui poſt parietẽ vidit mulieres plorantes Adonidem. At hic quamcumq; abominationem, & ſcelus ſignificat.

514. *Verùm agè*. Altera confutationis pars, in qua vti ſuperiùs oſtendit vitia ab aduenis Romam fuiſſe delata, ità hic ſacros Proceres è diuerſis regionibus ortos demonſtrat. Quamobrèm quiſquis exterus eos damnat, ſuum ſanguinem, & genus damnat, ac vitia declarat eſſe non Romæ, ſed gentium; quæ ſibi veniam dari ſi cupiunt, iјs etiàm debent ignoſcere, qui eodem è ſemine, ac natione ſunt geniti. Eſt autem confutationis ſpecies indirecta, & obliqua, quæ Satyrographi machinationes totas euertit.

Naturæ

523. *Naturæ peccantis opes*. Impetus nimirùm, inſtinctuſq; naturales. Eadem verò vena pro eodem fomite, aut ſanguine accipitur.

531. *O'amor, ò pietas*. Nequitiam arguit, inſcitiamq; hominis, qui non argumentis, & rationibus, ac conuicijs, & probris perſuadere virtutem ſibi propoſuit, atq; ad bonam frugem ſacra capita reuocare.

539. *Publica nàm res tùm trepidat*. Ob peccatum filiorum Heli ſacerdotum magnam olim cladem accepit populus Iſraeliticus, qui ſub iugo Philiſtinorum exindè diutiùs fuit. Reg. 1. Neq; Conſtantinopolitanum permanſit Imperium propter hæreſes à Sacerdotibus Græcis inductas.

542. *Sed quid ego*. Nequitiam Satyrographi pergit arguere, qui cum omnia fanda, infanda vomuiſſet, amicè agere profitetur.

549. *Hirta Mineruam ſus doceas*. Sus Mineruam; Noctuas Athenas, antiqua, & trita prouerbia. Vide Manutium.

551. *Excute te, Roma*. Verba Satyræ, quæ ſenſum duplicem habere videntur; ſuperbos enim dominos haùd minùs pro Principibus; qui Romæ imperant, fortaſsè accipere quiſpiam poteſt, quàm pro vitijs.

552. *Lucernarum collega mearum*. Studiorum ſocius; ſcripta quippè præclara vulgò dicuntur olere lucernam.

555. *Dictatas dictas leges*. Ex adagio [Actum agere] quod eſt tamet facere, quæ facta iàm fuerant.

562. *Sæpe rigorem temperet*. Principum Politia, qui legibus vti debent, non vt ſonant, ſed vt expedire perſpiciunt bono publico.

Ergò

565. *Ergò tuum eſt.* Concluſio cum admonitione, & fructu.
570. *Si paſſa eſt Phalarim.* Phalaris Agrigentinorum in Sicilia Tyrannus homo notæ crudelitatis fuit, qui tauro æneo incluſos homines igne ſubiecto miſerabiliter extinguebat: tandèm ipſi eadem menſura remenſum eſt. Sardanapalus Aſſyriorum poſtremus Rex inertiſſimus, flagitioſiſſimus Regnum, vitamq; amittere iuſto ferro promeruit. Totila Gotthorum immanitate barbara Itálos afflictauit. Herodes Iudæorũ adeò ſitiens humani ſanguinis fuit, vt ne filijs quidem, atq; vxori pepercerit. De Caligula, de Nerone, de Heliogabalo vniuerſæ Hiſtoriæ loquuntur, & calamitatem eorum temporum lachrymantur.
578. *Aſpice iam te.* Iuxta illud [Noſce te ipſum] ſeu proùt Veritas ait [Medice, cura te ipſum] aut [Eijce primùm trabem ex oculo tuo, & poſteà educes feſtucam ex oculo meo.] At ſententia & propoſitæ rei congruit, & Satyræ ritè reſpondet, quæ ſententia itèm clauditur.

Cœterùm, quæ ad Grammaticos pertinent, multa omiſimus; res enim Tranſalpinæ patientiæ, laboris, ocijq; eſt librorum infinitatem verſare ad quæq; minutiſſima inueſtiganda. Ea verò, erudite lector, aut ipſe calles, aut boni conſules tuo ſtudio quærere.

Si autèm in Antiſatyra perfectè atq; ad amuſſim reſponſum non eſt, excuſatione dignus videtur Auctor, cui Satyræ percurrendæ vix data facultas fuit. Illud quidèm non temerè omiſit, quod plerique

rique voluiſſent, perſonarum nimirùm peculiarium defenſionem, quæ ſub indiuiduis nominibus in Satyra reprehenduntur; tùm quia ſuperuacanea peculiaris defenſio videtur eſſe, vbi communis ſingulos comprehendit; tùm vt prudentiam, modeſtiamq; præſeferret, quà Satyrographus imprudentiam, temeritatemq; demonſtrauit; tùm deniq; ne ea probra frequentiore ſuſurro verſarentur in ore vulgi, quæ & ſi à verò longiſſimè abſunt, vt plurimũ tamen à corruptis animis pronis auribus ebibũtur, & pro veris accipiuntur.

ACTIO APOLOGETICA

ADVERSVS SATYRAM DII VESTRAM FIDEM.

EX ANTISATYRA TYBERINA.

FRANCFVRTI. MDCXXX.

Auctor Philoni ſuo S. P.

NIhil vnquàm minore cura ſcripſi, quàm Antiſatyram Tyberinam. Hanc & incogitantèr inchoaui, & ambulans valetudinis, aut negotij gratia meditatus ſum, & intercalaribus horis à ſomno ad ſomnum abſolui; neq; inter aſſiduas occupationes quintum, & vigeſimum diem attigi perficiendo. Ea tamen tāto plauſu excepta eſt (adeo pronis auribus vel innocentium defenſiones, vel aculeos, & ſales corrupta amplectitur natura mortalium) vt ego ipſe mirari non deſinam. Optauerunt eandem ſoluta in oratione videre plerique; neq; abnui; redijt quippè in mentem mihi, quod ab alijs quoq; in eodem genere factum fuit; nàm Federicus Cerutus ciuis, & familiaris meus, vir amœnioribus literis egregiè eruditus ante annos quadraginta Iuuenalis, Horatijq; Satyras elegantiſſimis Paraphraſibus illuſtrauit; alij alia. Itaq; Antiſatyram, quaſi à ſago ad togam traduxi, non omninò tamen paraphraſticè, ſed oratorio ſtylo pauciſſimis immutatis, & genio ferè mihi propoſito Philippicarum; quò nimirùm & mea cauſa experirer, qua ratione vnum ſcriptionis genus in alterum transferri valeat, & alijs pateat meam Poëſim non inanium verborum fuco, & illecebris duntaxat conſtare, ſed ſententijs & argumentis, quæ ſub calamo ſeueriores ad perſuadendum, probandum, confutandū vtilia, & idonea ſint. Tu, mi Philo, quem perindè amo ac ſi mihi in manus omnem fortunam dederis, ſi meam induſtriam probaueris, erit profectò hac in re mihi expetendum prætereà nihil. Vale.

ACTIO APOLOGETICA

Aduerſus Satyram, Dij veſtram fidem, ex Antiſatyra Tyberina.

CVM multa in vnoquoq; genere dicendi me ludere contigerit, Auditores, vtrùm illud temerè, an egregiè factum fuerit, iudicium eſt veſtrum. Mihi in hoc quidèm ſuccenſeat fortaſsè nemo; quòd ſperandæ laudis audacia fuit. Supererat Satyra, quàm minimè attigeram, cum planè horrerē ſcriptionis genus inuidiæ obnoxium, tametſi cauſæ non vulgares haud quaquàm defuerint; nàm priuatas neglexi, publicas ad me pertinere neutiquàm ratus clarioribus ingenijs reliqui. At quonā meo nùnc fato fieri dicam, vt non priuato conuicio offenſus, ſed communi modò laceſſitus iniuria, ad eam me trahi, rapiq; ſentiam? Mihi Roma gentium domina, optimarū artium altrix mouere animū, ſubijcere pectori iuſtas iras videtur. Intonat meis auribus regia vox, intonat cordi, flagitatq;, vt neglectis cæteris curis communem cauſam ſuſcipiam; neq; mihi integrū eſt eius voluntati reſiſtere, quam vnicè diligo in rebus humanis. Satyram autem dicam, Auditores? non ità eſt, appellatio me fefellit; contra Satyram dicendū eſt mihi, & nequiſſimo calumniatori obuiam eundum, qui Romanæ Hierarchiæ regijs hiſce faſtigijs inſultat, arguit, vrget, premit; homo audax, atq; ad omne flagitiū paratus; quem haùd facilè dijudicetis vbinàm gentiū natus ſit, Anglianè, an Batauia monſtrum tulerit, vel quæ tellus ſub Boreali ſydere conſtituta pepererit Bezæ aſſeclā, & caſtrorū Dæmonis cōmilitonē. Eiuſmodi ſe ille patrio venditat ortū ſolo; & ipſe aſſen-

tior, nàm & eiuſmodi manifeſtũ loquela facit; neq; enim in Italia noſtra amœniſſima regionũ, moderatiſsima prouinciarũ, religioſiſsima terrarũ omniũ hic parricida natus eſſe putandus videtur, tametſi vel Imperatoria non deſint exempla Neronum, & Pompeius Magnus, quam legem tulit ampliſsimam de parricidis, non ſine cõperta, exploratаq; cauſa tuliſſe credendus ſit.

At verò ſit ne mentiens patriam Italus, an trans alpes ortus, nihil, Auditores intereſt ad ſtatum cauſæ; nos eum habeamus, qualẽ ſe fert. Ille à Satyræ ſtudijs ſe abfuiſſe tota vita profitetur. Hanc vnam, quã contra nos ſcripſit, intra vigeſimum diem abſoluiſſe, cum tamẽn eſſe operoſiſsimam veſtigia laboris palàm declarent, tantaq; eruditione, & cultu cõſpicuam vt fieri nequeat eam niſi plurium annorũ ſudoribus fuiſſe compactam. Antiquorum Satyras induſtrius homo omnes excuſsit, probra maledicorum, flagra vetuſtatis; non Horatium hiantem præterijt, non preſſum Perſium, non copioſum Iuuenalem, non Lucilij, Archilochiq; carioſa fragmẽta, vel ductu Sybillæ quæſita, imò & fluentem poſt medicamenta Muſarũ bilem, & excrementa Parnaſiæ rupis collegit ad virus. Nàm quid ego de verbis dicam, quorum ſupellectilem parauit locupletiſſimã, theſauros linguæ omnes exhauſit, & veteres pleraſq; melioris notæ formulas expiſcatus egregium carmen dare conatus eſt? Ego verò nõ video, cur neceſſe fuerit tantis laboribus hominem premi, tantoq; apparatu poëſim conflare, quæ in maledicta reſolueretur: ea profectò ſuperuacanea lignorum ſtrues, vt conuiciorũ cacabus ebulliret. Corrupta iamdiù natura mortaliũ, fluit vltrò in probra ſermo, atq; eò res deducta eſt, vt inſulſiſſimus, ac ſtolidus quiſq; artem calumniandi, & probos acutis contumeliarũ aculeis afficiendi mirificè

calleat.

calleat. Præterea quàm inanem, quàm ridiculum Phormio iſte laborẽ ſuſcepit, qui vulgata duntaxat, tritaq; in triuijs tonſorum commenta, anicularumq; fabulas, nihil noui affert, nihil arcani, neq; memor ingenij ſui circa vilem offam moratur.

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Egregio ſcilicet Archipœte ſatis fuit vel copiam, elegãtiam, eruditionẽ ad famam oſtentare, vel animo abſtruſũ venenũ palàm exponere habenti noxium à nobis irrisũ? Cui tanto temeritatis argumento quarè putatis, Auditores, addidiſſe illum rotundas notas, & Satyram quaſi alteram confarcinaſſe, niſi vt poſt lautiſſimas epulas maledictorum omnem dentiſcalpijs huiuſmodi rubiginem, atq; obſcuritatem detergeret nequitiæ ſuæ? niſi vt ambitioſum Panegyricum ſibi texeret, quo Meſſallam, quo Plinium anteiret? neq; enim animũ inducam meum Romæ illum tam bardos eſſe homines opinari, tam obtuſa ingenia, vt Varronianas, Accianaſq; ſcribendi formulas ignoremus. Audite quæſo, clariſſimi viri, quàm ſe efferat balatro iſte; videte audaciam; animã tandèm Lucilij induit, aut factus eſt pauo Pythagoræus. Quam ſuarum laudum partem fugerit diuinare neutiquàm licèt. Quid faceret ſi prò Homero Achillem armaſſet ad Troiam, prò Virgilio Æneam duxiſſet in Latiũ. At profectò animaduerti ſæpiùs hoc eſſe flagitium gentis, non perſonarum, vitium ſoli, non hominum. Ignoſcere non abs re erit. Nùnc, Auditores memoriam ſubit, quod me teſte contigit domi, cum adhùc agerem in ephębis, & Muſas colere rudis inſtitui. Præceptorẽ noſtrum virum nauũ, & eruditum extuleramus: Ciues, ad quòs ea ratio pertinebat, virtutem hominũ longinquitate patriæ metientes, neſcio quem Trãſalpini generis ſciolum pacta mercede condu-

 xerunt.

xerunt. Adfuit ille magnus vir, quippe qui inter Pigmæos Gigas vix eſſe potuiſſet. Vbi Nonæ Nouēbris aduenere, ac primitias ſuæ ſapiētiæ libādas exhibere debuit, magna nobilium corona ſitientibus animis expectante, ſuggeſtū conſcendit. Vidiſſetis hominem, quaſi Hortenſij, aut Ciceronis locū teneret, itá intumeſcere, turgereq; animo, nec atrio capi, quamquàm puſillū. Tandèm os rotundū illud apertum eſt. Dixit, at breuiùs, quàm ipſe fuit; at quod dixit, quo nomine appellē, ſine Apolline non reperio; niſi pro me diuinauit Catullus meus, atq; hæc fuit illa cacata charta, quam Annalibus Voluſi vir acutiſſimus titulū dedit. Ita ineptijs viros graues homo ſtultiſſimus afflictauit, cum tamèn actionem Tullianis excellentiorē egiſſe ſe feriò, & nauitèr opinaretur. Iam è ſuggeſtu in Orcheſtram deſcendit. Confeſtim ad eos in corona declinans, quibus cum aliqua illi familiaritas intercedebat, percunctatus eſt, quid de miraculo ſuo ſentirent? an in ea ciuitate talia perorari ſolitum eſſet? Palàm laudare vniuerſi, famam minui re ipſa dictitare; ſed in abdito homunculum ſtomacari, mirariq; aſinum Parnaſiæ rupis tàm impudentèr contemnere clariſſimam ciuitatem, & magnificè de ſe loqui. Itaq; apud eos ſecundum menſem minimè expleuit, & ſuo periculo didicit ad cœcos ſe monoculum non acceſſiſſe. Hi profectò homines Tranſalpinum genus, mirum eſt, quàm ſe efferant, Auditores, quanti ſibi eſſe videātur, ſi quid exoletum, & ſitu obſitum è ruderibus Ennianis attulerint, ſi verba ab Oſcis, Volciſq; deſinauerint, ſi Latini ſermonis prima crepundia retractauerint, ſi cum Numa, Romuloq; locuti fuerint; Salluſtium, Virgiliū, Tullium, Cæſarem puriſſimos, amœniſſimoſq; ſcriptores neutiquàm probant. Niſi Plautus, aut alius antiquiorū quiſpiam ſuggerat aliquid, quod ad

lexica

lexica lectorem mittat, vulgaris, atq; humilis oratio eſt.

Sed omittamus nationes illas atq; ad Satyrographum redeamus, qui quidem nouus Annibal infeſtam aduerſus vrbem rapuit aciem, & minacia Romanis arcibus ſigna admouit formidabilis oppugnator. Porrò quid ille cogitet, Auditores, quid ſperet, quid conetur cognitione conſequi nequeo; multiplicem literaturam oſtentauit, lautè cecinit, laudē, famamq; quæſitauit, & tamèn latitat. at quæ, Deus bone, laus homini, qui tenebris occludatur? quæ fama ſuppreſſo nomini? Niſi mihi hunc nodum reſoluat Oedipus aliquis, aqua hæreo, adeò hæc inter ſe contraria ſunt, adeò inuicèm implicantur, & pugnant. Prodeat, appareat, videamus hominē ſingulari doctrina, atq; virtute præſtantem, in quo Iuuenales, Perſijq; reuixerunt, exhibere ipſi liceat honorem debitum, atq; os diuino ſimillimū reuereri. Quid te verò, Vir ampliſſime, poſt Pignorium, poſt Bonifacium, poſt Quærengum in occulto ponis? quid gloriam times, quam tantoperè cōcupiſti? Horret, Auditores, iſte ardelio ſe ipſum. Hic verò peccantium mos eſt, vbi famam ſuo furori ſperauere, ibi mente exhorreſcunt, atq; ab ſe fugere vellent, ſi poſſent. Propterea grauiſſimos expiſcatus eiuſmodi homines, & de ſacra Republica noſtra probè, egregièq; ſentientes, hos vti flagitij conſcios, ſocioſq; paludamentū dedecori adſciuit, ac tantùm non rem totam in eos retulit, quaſi Ægerium Numen, à quo oraculum deriuauerit. At quis credat tantos viros, tam probatos, qui Italo cœlo eximiā lucem attulerūnt, quidpiam in ea Satyra, ſi viderunt, collaudaſſe præter dictionem, præterq; imitationē bonorū, qui vetere quidèm, ſed florente ſeculo, claruerunt? Ego idem ſentio, Auditores, laudo induſtriam, laudo carminis dignitatem; argumentū, temeritatem, ſcelus nefas eſt & me, & illos probare.

Nùnc autèm quiſquis es, Satyrographe, propiùs libet accedere, & cominùs decertare; ingenuè tamèn agamus, & meo more. Si non ades, tuum ſcriptum tuam perſonā ante meos oculos ſuſtinebit. Tu quidem animum induxiſti tuum, vt Romanæ Aulæ crimina excuteres, luxum, libidinem, voracitatem, auaritiā, ambitionem, hipocryſim, atq; in ſacra capita acerrimè inueherèris, huiuſmodi turpitudinibus nimirùm fœdè corrupta; eò diligentiſſimè collimaſti. Ego autèm quæcumq; obiectes, hac prima velitatione tibi do omnia, nihil obſto, nihil repugno. Verùm hoc vnū à te ſcire expeto, vnū rogo; meminerìſnè, quam ea vitia originē nacta fuerint? Vidiſtinè Romanas, peregrinaſq; hiſtorias? in antiquorum monumentis mediocritèr verſatus nè es? Hæreat anceps, ſi erumperet, Auditores, homo ſapiens, vereaturq; , quò mea ferire anteriore hoc iaculo velit oratio. Effare, obſecro; an ignoras omnia vitiorum genera ab exteris hominibus Romam fuiſſe conuecta? Vos trans alpes ortæ nationes, trans maria geniti accolæ, hùc ab vniuerſis terrarū finibus confluxiſtis, hùc veſtras ſuperſtitiones, veſtras libidines, veſtra omnia flagitia tranſtuliſtis, cumq; per bellorū, Magiſtratuumq; Romanorū cōmercia hinc rudem barbariem exuere didiceritis, & vniuerſæ virtutes, vniuerſa bona ad vos ab vrbe permanauerint, vos tantū beneficiū veſtris ſceleribus permutaſtis, & ſucceſſione cōtinua turpitudinem propagaſtis; quamobrèm ſi Roma criminibus contabeſcit, veſtro munere contabeſcit. Expauit, niſi fallor, Auditores, calumniator, fractiq; iam videntur impudentis hominis impetus, quos gerebat; etenim negare non poteſt, quod ſexcentæ priſcorum paginæ confitētur, neq; Sanctorum etiàm Patrum, Leonis præſertim, grauiſſimis intercedere teſtimonijs: nunquàm ille ſomniauerat

ſe huiuſmodi argumentandi genere petitum iri. & quidèm adeò veritatem intimè attingit huiuſmodi defenſio noſtra, clariſſimi viri, vt probatione, quàm ſplendor ſolaris orbis, minùs indigeat. Te appello, Cai Cæſar, ad te in primis orationem conuertere neceſſe eſt, neq; ignoſcendi auctori maximo deprauandæ patriæ patet locus. Tu, profligatis Pompeianarũ partium ducibus, clariſsimiſq; ciuibus Senatui ereptis, luem exteram ſubſtituiſti. Tùm primùm Belgæ, Galli, Cantabri, Tranſrhenani peregrinã, exteramq; ſententiam in Senatu Romano dixerunt. Tùm Ægyptijs, Arabibus, Medis barbari, ſeruiliſq; generis Æmiliorum, Scipionũ, Sulpitiorum ſubſellia patuerunt, atq; vrbs orbis effecta eſt. Tùm fœdari captæ curules, paludamenta, triumphales lauri, atq; in ſpadonũ, mimorum, ſcurrarum infamem gregem præcipites ceciderunt. Hi Patres conſcripti, hi Quirites, hi inter Magiſtratus faſtis inſcripti. Neq; aduentitius aliquis ab aratro iactans auitas imagines, & fictitias purpuras ſupra Marios, & Claudiam familiam, Romanos faſces non antetulit intumeſcens; atq; eò ſtigmaticus exul progreſſus eſt, vt ei obuios Metellos, & Brutos de uia decedere ſanè turpitèr oportuerit. Ex eo fonte omnis ſcatere corruptio ſucceſſu temporũ. Indè nobiliſsimæ ſtirpis matronæ Corinthiacas laides libidinibus æmulatæ ad lupanaria conflagrare, & clariſsimo diei lumine vtriq; Veneri obnoxiò Neroni ſe palàm in tenuiſsimis veſtibus oſtentare. Nàm quantum dedecoris Romanis arcibus intulit Cleopatra, quę nefario Triumuiro & ſcelus, & vltio fuit? quot habuit aſſeclas? quot imitatrices? quot æmulas? Citiùs, Auditores, me cætera deficiant omnia, quàm exempla in locũ huiuſmodi conferenda. At Romæ primordia, progreſſioneſq;, quoàd impermixti fuere veteres, ò Deus bone,

quàm

quàm nauitèr, quàm conſtantèr virtutem, prout nouerant, coluerunt; quanta incrementa Imperij, & dignitatis Romano populo pepererunt; quantum Fabritij, Serraniq; profecerunt. Tùm ſimplex victus, cultuſq; corporis, nō epulæ adulteratæ; non exquiſita bibendi voluptas, non magnifici ædium apparatus, nulla ad luxum, nulla ad ambitionem compoſita. Parens, nuruſq; clariſſimis ortæ natalibus, in domo tamèn paupere vitam penſo, & acu ſimpliciſſimè traduxerunt, & caſtitatem pro numine coluerunt. Nihil apud illas aureum, nihil ſericum, ſed rudi lana velatum corpus aduerſus faces Cupidinis obdurarūt. Puellæ maternis ſub hiſce moribus educatæ à turpitudinibus abhorruerunt. Poſtquàm permixtio nationum, quam diximus, facta eſt, quam Roma ruinam dederit, cum ſub oculos cadat, explicare ſermone non eſt neceſſe, cum ne ipſa quidèm in ſe cognoſcere ſe ipſam valeat. Refellere hoc argumentum, Satyrographe, niſi mea mihi mentitur opinio, neutiquàm potes; nàm plura contra te faciunt, quàm humana induſtria reſolui poſſint.

Nùnc ab eodem inſtituto noſtro, vt demus tibi ſingula, non abhorrentes aliam rationem aggrediamur; Roma, Roma hæc, inquam, tantis molibus à tè petita, tantis fulminibus oppugnata, ſit, prout lubet, improba, probroſa, impudica, cōtumelioſa. At quæ regio terrarū orbis, quis ſeceſſus, quis angulus vitijs vacat? quis in natali ſolio hęreditariā vim illius criminis non experitur, quod parens humani generis primus & primū, & nouiſſimū perpetrauit? imò verò quò mortales ab inſonte, atq; aureo illo principio lōgiùs abſunt, eò inſtar flūminū inquinatiores, & deteriores fiunt. Olim vix Principum regiæ, vix vxores aureis, vermiculatiſq; ornatibus tegebantur; nùnc ad

mi-

mimas, & textrices, earumq; penetralia miſerabilitèr deducta res eſt; neq; iam facilè habetur gregarias fœminas à primarijs dijudicare. Magnarum autèm matronarum ſuperbia, luxuſq; quanti ſint, nihil attinet commemorare, cum harum pleræq; inuentæ ſint, quæ rhedis vehi indignarentur, quarum equi ſoleas argenteas neutiquam gererent. Quapropter magna cautione rhedarijs cundum fuit, ne lauti,& locupletes belluarum pedes cœnoſis pulueribus deformarentur. Quid verò de maribus dicam,qui calamiſtrati, compoſiti,ſtragulati æmulatione muliebri ambitiosè incedunt? nùnc demùm gauſapen regiam de plebe quilibet induere, quaſi rem acturus in ſcena, minimè dubitat. Hoc Angli piaculo, hoc Hiſpani, Galli, Germani, Lybies, Syri, Æthiopes, Indi laborant;nulla natio immunis eſt. Vbiq; fertiles fundos, atq; opulentiſſimas hæreditates immodico luxu mortales exhauriunt, vbiq; ductiles domos adeò pretioſas inſtituunt, vt ſtabiles fundatæq; moles tanti non ſint. Mētiri me, Satyrographe, ſiquis dixerit, næ ille aut montes auios, & deſertas ſyluas ab ineunte ætate familiares habuit, aut oculis captus eſt.

Porrò ad Veneris pruriginē veniamus. hac verò quid latius patet? quid communius? cum innata cuiq; natura ne brutis animantibus quidèm parcat. Intuere, Satyrographe, ſiquis eſt, qui terra,mariq; nō appetat obſcænos amplexus. Vide quàm quiſq; perditè, vel ad ipſa fulginoſa, teatraliaq; ſcorta (probrum humani generis) rapiatur; non Quartillas abnuat, non Tryphœnas euitet. Vt mirum videri non debeat,ſi pulcherrimæ Romæ Ciniciæ frequentes amantium greges Circæo more in ſui libidinem deformauerunt. Quod ſi fœminas quoq; vbiq; gentium ſpectare volueris, ſanè comperies pudicitiæ

leges

leges re abrogatas, titulo tenus. & ſolo nomine conſeruari; neq; Penelopes, aut Artemiſias facilè deprehendas, quæ lucroſos, ſalaceſq; fornices deteſtentur. Heu, Satyrographe, quàm inſidas hodie pudor experitur vbiq; ſedes, quàm fœdè, quàm miſerè Sellariorum, & Spintriarum nequiſſima nomina ad noſtra quoq; tempora peruenerunt: quàm varia Venus Proteum agit, & fruendi modos exhibet in vna execrabili voluptate multiplices. Vtinàm, quem tu nobis obiectas, hoc ipſe morbo haud quaquàm labores, & puero tibi (quam tamèn calumniam falsò immeritis irrogatam puto) ſummæ fortunæ loco non fuiſſet impudicum illum tractare libellũ, à quo alius, vt recenſes, ſanctiſſimè abhorruit, & fugit. Nàm quid pleroſq; memorem turpiſſima huiuſmodi contagione corruptos reges, qui nefariã vim ſacroſanctis matrimonij vinculis ad alienas libidines attulerunt? vel quod Deus ipſe ſanxit, ſatiato latere diremerunt? tanquàm nulla re permoti, atq; deterriti, neq; ciuilem famam, neq; offenſionem Numinis vererentur. Hæc documenta hauritiſnè, exteri, Romano ab ore? hæc inſtituta nituntur Romanis exemplis? Heu qui ſunt gemitus Britanniæ miſeræ, poſtquàm huiuſmodi piaculo contaminata, ac proindè à nobis ſeiuncta ingreſſu ſyderum prohibetur. Iàm priſca ad ſecula remeauimus, & ſuſpenſa pridèm, anxiaq; expectatione opperitur orbis terrarum, quis cõnubialium bellorum exitus futurus ſit; quis rerum potiri debeat; cuius nauis latus aperiat illiſa ſcopulo, quem Thebanæ olim filius fatidicæ communiuit; Quò vertat fulmina vniuerſitatis huius fabricator, & Princeps Deus; qua ſignificatione, quo oſtento ſibi placitam cauſam probet. Romam verò hoc rerum ſtatu appelletis ne nocentem, vos barbari Satyrographe? an Gnoſſij deſunt,

an Colchi, quorũ teſtimonio de patria eorum certiores eritis, qui Medęam, qui Ariadnam coniugalis tori ſpecie deceptas turpiſſimè contempſerunt?

Libidinis ignem edacitas, & nimia epulandi ſolertia creat, & alit. Quocirca ſi eo, quantum modò memorauimus, vbiq; flagrat orbis terrarum, fatendũ, Auditores, profectò eſt mortales vbiq; etiàm lautis, opipariſq; apparatibus operam dare. Velim autèm hic, qui tanto conatu laterum in Romanas menſas inuehitur, mihi ingenuè fateretur, an ſuó ſub cœlo, ſuas inter aras, & focos ieiunium adeò indigenis ſolemne ſit, vt curam prorsùs culinæ contemnant omnem, neq; varijs argumentis lenocinia palato quærant. Velim nō ignorare, an coquos mercede conducant, an pultes ament, pulpamenta appetant, collectum molli cruſto Noëmi gregem laceſſere fuſcina delectentur; an verò ſingula maximè temperati faſtidiāt. Adeſto, Satyrographe, hæ tuæ ſunt partes. Quid reſpondeat captus homo ſuis caſſibus, clariſſimi viri, profectò ignorat. Et ſcio quidèm apud illas gentes, neq; ſacerdotia, neq; conſilia, neq; cathedras legum iura, Philoſophiæq; oracula profitentium tanti eſſe, vt coquos æquiparent. Scio nihil tanto ſtudio comparari, quàm exquiſitas eduliorum illecebras; ea eſt diligentia, ea induſtria laborare, vt voluptuosè, & ſuauitèr epulentur. Et ſanè inter paraſitos, & helluones numerari affectant Principes quoq;, qui ne biduo quidèm ſæpè ab inſtructo triclinio, ſeu potiùs popina recedunt; imò cum magnam obſoniorum vim ingurgitauerint, magnumq; vini flumen exhauſerint, idemq; turpiter euomuerint, dehoneſtati, polluti, ſui impotes, ac belluis propiores manu auferuntur? Quid plura? eo iàm miſeriarum deducti ſumus, vt condiendarum ſibi quiſq; eſcarum rationem comminiſci

gaudea.

gaudeat, & modò faucibus morem gerat, coquum agere non erubeſcat. Etenim vel inter ſumma capita notum eſt, quàm aliquis circa prunas laboret, & conciliandis palato dapibus induſtrius incumbat.

Fama eſt, Auditores, quam facto haud quaquàm mentiri compertum eſt mihi, fuiſſe geminos ætate noſtra, neq; Romani ſanguinis, neq; ſtationis, alterum quidèm Principem, magniſq; ditionibus imperantem, alterum è prima regni nobilitate conſpicuum, quos nauos, ſtrenuoſq; ventris, & crapulæ duces nihil latebat omninò; quod ad lautè, molliterq; veſcendum pertineret. Hi ſcaros, mulloſq; inuſitatæ magnitudinis vel millibus coëmiſſent, atq; ab extremis maris littoribus adduxiſſent. Syluis, luſtriſq; inimiciſſimi, quippe qui ea ciuibus, & feris ad oris libidinem viduauerant. Cæterùm nulli præterea rei operam dabant, non hiſtorica, non oratoria, nō politica monumenta manu verſabant, non ipſis regni negotijs ſtudium nauabant; totus animus in patinis innatabat. Et cùm cœnas, quaſi ad victoriam, inuicem factitarent, ille oppidò profligatus, pulſuſq; abibat, qui eſuriem nouis ciborum condimentis non irritaſſet; coquus, fartor, atq; eiuſce generis homines quæſiti, conducti, empti, atq; in ſocietatem adſciti. Eò portenti demùm adducta res fuit, vt nimio corrupti luxu vel molliſſima faſtidirent; queri non eſſe artifices, aut ſi forent, vires artis elumbes, & mancas iacere, ac proindè fabuloſis Deorum epulis inhiare. Tùm experiri ſtatuunt, quid ſua ipſi manu conari valeant; atq; inter ipſos condictum eſt nullo obſonio veſci, nullo potu aliquandò refici, quod ſibi ipſi non apparaſſent; neq; pudet pingues ollas tractare, ac fumo, & cineribus contaminari. Electum glorioſæ palæſtræ teatrum eſt clandeſtini poſt hortos

receſſus.

ſeceſſus Statuta die, qua egregij Imperatores Tyrannum Thracem ad pugnam laceſſerent, conueniunt præcinctì linteis, accenſoq; igne, & coquinarijs inſtrumentis nauitèr expeditis, varij generis aues, & pecudes varia induſtria adornant, & condiunt. Indè (quæ prima res fuit) remoti arbitri, & teſtes, atq; adeò clàm tranſactū negotium eſt, vt ne odor quidèm ad exteros perueniret; conſultò quidèm, nàm ea prima merces laborantibus debebatur. Inſtructis iàm cœteris rebus duo ſupererāt, alterum veru traiectas carnes ſuppoſitis prunis aſſandas inuertere: alterum è cella vinaria, ad quem ſpatia haùd erant obſcura, potum afferre. Monuit inferior, ne mora cœnę diuturnior fieret, partienda ſeruitia, atq; optionem Principi dedit. at hic veritus, ne prodita dignitate pateret exceſſus, dùm ſocius exiret ad dolia, vrendi obſonij curam ſuſcepit. Intereà temporis Aulici, qui, & ſi causā rei penitùs ignorabant, ſciebant tamèn eò loci dominos ſeceſſiſſe, ſuo iàm perfuncti prandio adfuerunt, & ſtantes in atrio heriles nutus opperiebantur. Statim qui ad afferendas potiones abierat, ſuffarcinatus, atq; onuſtus amphoris reuerſus eſt. atq; ille quidèm inopinata hominum præſentia perculſus, neq; ratus exiſtimationi mederi ſe poſſe, niſi flagitio communicato, collegit animum, & conſilium aduerſus mirantes clamandi cepit. Heus boni viri, quandiù tolerabitis ſine vobis Principem eſſe, qui iampridèm vos ſedulò vocari iuſſit? nec plura ſubnectēs, impulit fores. Illi præcipites irruperunt, & ſpectaculo apparuerunt recētis Herculis perunctæ amaſiæ tractātis fuſum. Quales eiuſmodi aſpectum tum ipſi, tum dominus facti fuerint, vos, Auditores, cogitate; mutuus pudor fabulam clauſit, ac ridendi deindè populo materiam præbuit ſatis prolixam. Ita fit, vt neq; periculum

famæ,

ſamæ, neq; nummi iactura modum gulæ imponant, atq; Auguſti Chalendæ celebres vnicuiq;, ſolemneſq; ſint. De delicijs autèm in bibendo quæſitis quid commemorem? Etenim rigidas alpes niuibus ſpoliant, & quæcũq; ſit Caniculæ vis in omnia, tamèn egregia in faucibus vina luxuriari mentito frigore didicerunt. Quæ cum ita ſint, Satyrographe, & paſſim vbiq; ſub ſenſum cadant, eritnè animus vobis exteris gentium laudare frugalitatē, nimias damnare Romanas menſas? Illud medius fidiùs familiare mortalibus vitium eſt, vt quæcumq; minore cenſu prohibiti facere nequeunt, ea in illis reprehendãt, penes quos poteſtas faciendi eſt. Qui alitibus peregrinis, qui rhombis, & mullis veſci non poſſunt, Lucullum continuò, aut alium huiuſmodi delicias habentem carpunt. Quòd ſi fatum mutaret arb trium, næ adeò amētem haud quaquàm te iudicem, vt cenſeas illum moderatum, parcum ieiunum viles ſiliquas, & fatua legumina non abiecturum. Neq; verò eſt cùr ab antiquitate Apiciorum repetas nomina; etenim propagatum eſt indecorum ſemen in infinitum, & huiuſmodi helluonibus adeò vniuerſus affluit orbis terrarum, vt ſani conſilij nentiquàm ſit accerſere proauos, vbi nepotes immenſi vigent. Niſi fortè hic quoq; Satyrographe, ambitioni tuæ quæritur locus, vt videaris hiſtoriarum gnarus, & veteris æui veſtigator eximius, aut Satyrarum illius temporis ſcrutatòr, & imitator. Quod ſanè conſilium probare quis valeat, cùm Poëtæ illi ijs nominibus vſi fuerint, quæ tùm recentis inuidiæ ſceleris conflagrabant?

Vidimus, Auditores, & quaſi manu tetigimus luxum, libidinem, crapulam vbiq; gentium vigere, ac turpiſſimè debacchari, neq; rem exploratiſſimam, & meridianam lucem clariorem egregius hic irriſor, & cenſor noſter inficiari

inficiari poteſt. Haùd nobis deincèps difficultas erit inuenire, ac probare cœtera. Nàm de auaritia differēdo quis finem ſermoni reperiat, cum ea neq; quicquam latius pateat, neq; aliud vitium humanæ naturæ, ac ſocietati excogitari poſſit iniquius? Vide quæſo, Satirographe, quemnam in communi colluuie retegas locum conflandæ Proceribus Romanis inuidiæ. Vide quid egerit veſter ille Britannus Rex, qui ætate noſtrorum patrum auita erga ſanctiſſimam Petri Sedem eiurata impijſſimè reuerentia, tutelarium Diuorum templis, ariſq; ſacrilegas intulit manus, & pretioſam ſupellectilem maiorum pietatis inclytum monumentum diripuit. Vide quid Principum pleriq; gerant, qui Prouincialium patrimonia quæſitis titulis deglubentes æraria protendunt. Neq; obſcurum profectò eſt quàm multi homines nobiles egregijs maioribus, copioſis opibus ad inopiam flexerint libidine dominantium, & vitæ, ac dignitatis neceſſitate coacti aut triſti, & ieiuno aſſumpto cucullo intrà ſepta cœnobij perſonam mutauerint, ad ſtipem relictis liberis, aut (quod horret animus recenſere) vxores, filiaſq; non modò integras, ſed vix dùm nubiles, domino conciliauerint. An deſunt capita regio diademate præfulgentia, quæ cum importunas contentiones, & bella ſpontè ſuſceperint, ærario manus adijcere reformidant, & toto molis pondere in ciuium fortunas incumbunt? quæ quidèm à mercenario milite dilapidatæ ſuam vicem deflent, & mitiorem fortaſsè hoſtem experirentur. At neq; tamèn vſu uenit violentis exactionibus, & cenſu reges ditari. Omnis belli fructus Centurionum, Tribunorum, & Ducum eſt, qui ne vaſtis è perenni rapina careāt emolumentis ſemina pacis effodiunt, & coloribus quæſitis prolixas cōtentiones oppidò faciunt, & ſempiternas.

Res aliena facie compoſitæ remotas aulas decipiunt, & regna alioqui ampliſſima ex innatis calamitatibus fathiſcunt, & proprio quaſi pondere diſſoluuntur. Intereà Chriſti Domini natalis tellus, & educatrix (quod ſine lachrymis attingi nequit) magna Aſiæ pars, magna Africæ, magna Europæ execrabili Ottomanicæ Tyrannidis iugo tenentur, Græcus in barbarum conuerſus eſt, noſtra littora nefandis claſſibus petuntur, diripiuntur, incenduntur, captiui ad haſtam ad duros dominos deportantur, & noſtra cutis piratico ſtigmate deformatur. Verùm omittere hunc locum prudentia ſit, neq; bonorũ luctum ciere velimus, & noſtrum. Ab celſioribus mortalium generis imaginibus prædarum agendarum, & ſtipandæ rei diſciplinam inferioris ordinis homines didicerunt; itaq; naturam ipſam ſuis iuribus, vitam ſuis commodis pleriq; exuunt. Quid enim excogitari in hominũ vniuerſitate poteſt iniquius? quid crudelius? quàm quod homo familiaris meus, ad quem Roma minimè pertinebat, in eodem contubernio, quo in Gallia Ciſalpina degebam ego, in ſe ipſum commiſit, & geſſit? Hic pecunijs affluens diuturna parſimonia, & fœnoribus coactis in morbum incidit, quo ſi obuiam principijs itum eſſet, facilè alleuari potuiſſet. At homo benè conſultus, & ſapiens, neq; fatigari ſua cauſa Hipocratem voluit, neq; pharmacopolarum turbari officinas; imò ne obolo quidem viliſſimas herbas parari permiſit, quibus tepentibus ſibi os ſtomachi foueretur, eam ſe dignam ſententiam aſſiduè vſurpans, pecuniam laboribus partam non eſſe temerè prodigendam, ac proindè ſuam ſe ad extrema pericula reſeruare. Paulo pòſt ita recruduit morbi vis, vt ille intra diem tertium extingueretur. O' miſerum planè hominem, qui nummum vitæ prætulit, & ſua ſibi

ſepoſuit

ſepoſuit commoda poſt exceſſum.

Ad ambitionem appello te, diſertiſſime Satyrographe, petoq; poſtquàm aurea illa decantata fabulis ſecula deſierunt, quænam ſedes eiuſmodi peſte vacua fuit? Illa medius fidiùs ne ab agris quidèm, ac ſyluis abhorruit vnquàm; non eam pudet generis, non loci, & vilis ruſticus adſpirat ad purpuras. Quæ quidèm res cum adeò latè, & communitèr pateat, miraculo proximum ſanè foret, ſi Roma, cuius in ſinu honores aluntur, cupiditate ampliſſima ſolueretur. Tu tibi elige vtrùm ſententiam noſtram confirmes, an neges; ſi confirmas, iàm inter nos egregiè conuenit; ſi negas, aut cauſas ignoras, quæ mortalibus communes naturam tenent, aut cum te nihil fortaſsè lateat, id ſtudio diſputandi facis. Quicquid ſit, rem altiùs repetere & reuocare ad ſuum locum memoriã tuam operæpretium exiſtimaui. Amor, Satirographe, propriæ magnitudinis, & excellentiæ, quem, prout nupèr affirmaui, omnia terrarum ſpatia amplecti nemo non videt, vnicuiq; natura inſita cupiditas eſt, qua mirificè ad ſuum auctorem mortales trahuntur; cuius enim imaginem, ac ſimilitudinẽ ab ipſis mundi cunabulis impreſſam gerunt, ex eo fit, vt ipſius omninò ſimiles eſſe velint. Quod cum Angelus cœlo exul animaduertiſſet humani generis inimicus, & materiam ſibi paratam ſtruẽdo ſceleri cogitaſſet, cum nullo dum pudore, nullo dolo natura mortalium perturbaretur, inſidijs intra ſepta Paradiſi cõpoſitis noſtri generis principes aggreſſus eſt, ſuaſitq; ſi malo vetito veſcerentur, eos non modò ſimiles Deo futuros, ſed cum eo quoq; conditionem penè parem habituros. Hac illi fallacia peſſundati omnem naturam præcipitem demiſerunt; fomes à primo flagitio relictus in noſtram perniciem conſtantiſſimè perſeuerat. Obti-

nuitq; hoſtis ex eo tempore, vt quam Dei appetit natura ſimilitudinem, ea non imitatione virtutum contineatur, ſed ſit in cœteros auctoritas, & poteſtas. Quamobrèm imperia ſinguli, ditiones, faſces optamus, neq; aliud eſt, quo Deo propiores eſſe falsò putemus, quàm ſi regno, & diademate potiamur. Neq; verò eſt mea hæc opinio temerè orta, aut rerum, locorumq; vſu, & conſuetudine parùm firmata; nàm quicũmq; in inſaniam vergunt, illi ſtatim aut Cæſares ſunt, aut Regum aliqui, ſeu Pōtificatu maximo ſupra mortalium faſtigium euecti; omnes, inquam, magnas imagines ſe eſſe iactant, & quod amat natura, quodq; alioqui prudentia occulit, corruptis mentibus palàm declarat. Fateor me alia ætate animi gratia, atq; inſtantibus amicis ad contubernia ſtultorum publica, piaq; cura pluribus in locis inſtituta, aliquandò acceſſiſſe, ac Romæ præſertim ad Antonini Cæſaris columnam incatenatis conclauibus fuiſſe. Vbiq; terrarum, vbiq; gentium ad eundem ſcopum collimant, eadem animorum perſuaſio, eadem ſuperbia. Vnum præ cæteris memini è Calabris ortum viliſſimum hominem, cui nulla ad vſum neceſſaria ſuppetebant, ad ambitionem nulla; obtrita, & lacera veſtis, cultus ſordidus, exuſta facies, & deformis, totus ſquallor, neq; ex alia, credo, quàm è mēdica muliere in via natus. Hunc interrogauimus pleriq; quis eſſet. Ipſe in tanta fœditate conſtitutus, ſe tamèn Vſſuncaſſanum Perſarum Regem eſſe reſpondit, & conſtanti, iterataq; voce diſertiſſimè confirmauit. Illum vidiſſetis, Auditores, iuri dicundo operam dare, bella Ottomanicis Regnis indicere, Imperium Turcicum ex hominibus exterminare; cumq; hæc portenta proferret, & toruos obtutus, & horribiles catenarũ quaſſationes mirati fuiſſetis. Ea nobis haùd leuis materia ridendi fuit,

atq;

atq; irritas mortalium naturæ machinationes opportunis ſalibus tranſigendi. Quæ cupiditas innata nobis magnitudinis & excellentiæ cum talis, ac tanta ſit, quantam modò memorauimus, nō video cùr miremur, Auditores, tot ſtudia hominum, tot conatus, quot pleriq; omnes nō ignoramus, ad inueſtigandum qua quiſq; fortuna ſit vſurus in vita, neq; enim alio è fonte ſuam originem diriuarunt. Erant ſortes Præneſte poſitæ, & ſuperſtitio celebris conſtituta, ad quam Roma, & Italia omnis confluebant. Erant in Græcia Apollinis Delphici, in Lybia Iouis Hammonis oracula aſſiduis flagitantium ſupplicationibus fatigata; atq; alia paſſim fictilium Deorum reſponſa petebantur. Nàm quis cortinam bilinguem, impoſtoremq; apud veteres tripodem ſuo cum detrimēto, ne dùm periculo, expertus non eſt? quis etiàm nùnc non augurem conſulit? non diuinum interrogat? quis ſortilegas, præſagienteſq; fœminas nocturnus, & pretio grauis non conuenit? quis à Chaldæorū orbibus, Ægyptiorum prophanis ſacris aborrendum putat? Præterea prauitate mortalium Deum ipſum ambitionis flagitio miſceri, voueriq; Numini templa, & aras ad principatū. Quæ res ad omnem profectò ordinem ludibrio ſapientiæ pertinet; ſed anxia, ſollicitaq; honorum ſitis eouſq; in animis inardeſcit, vt vel abiectiſſimas, ſordidaſq; mulierculas iſtas, quæ totum perambulant terrarum globū, fœcem, & dedecus humanæ ſobolis, quarum originem aut fabulis claudimus, aut ignoramus, accerſunt, palpāt, & de futuris rebus manu expoſita percunctantur, non modo cerdo, & nebulo quiſq;, ſed ingenui quoq; non pauci. Quò magis honeſtiorem, nobilioremq; ſcientiā ſyderum, Satyrographe, perueſtigent? Ptolomæi præceptiones, Alphonſi tabulas, multorum Ephæmerides

 ſcru-

ſcrutentur? atq; in Horoſcopi,& fatalis puncti, quod vix reperiri poſſe arbitror, meditationem prorsùs incumbant? neq; damnandi videantur, ſi ſtellatas, numeroſaſq; illos apud ſe habere geneſes deprehēdas? ſiquidèm tāta eſt naturæ corruptæ prurigo, & rerū cupiditas futurarū, quò ſuas magnitudines ariolentur. Verùm ò quàm leues artes; quàm fallaces, quæ pretiò vitas largiuntur, & vittas, quæ Principum electione ſurgentium frequentem interitum mentiuntur, & ſummas infulas irrito arbitrio deſtinant. O' miſeros ſanè imperantes, qui cum cæteri homines ſemèl occidant, artium huiuſmodi vitio millenis vicibus moriuntur. Ego quidèm, Auditores, tria ſtudia, tres hominum conatus laudaui nunquàm, nec laudari ſine iniuria poſſe arbitratus ſum. Vnus hic eſt, futuros euentus, qui Dei nutu mutantur, & cadunt, obſeruatione ſyderū veſtigare. Alter theſauros humi conditos, & vetuſtate ignotos effodere, atq; ad recentem lucem reuocare. Tertius è volucri, liquidaq; materia conflare aurum; quod ſi arte perfici poteſt, arti naturam manus dare neceſſe eſt. Quiqui harum trium alicui facultatum operam nauant, eos amentiæ nomine non abſoluo. Etenim ditiſſimum, lautiſſimumq; in paucis cognoui hominem, qui poſtquàm ad vitrum, ac tenuem ignem acceſſit, & latè patentes fundos, & ingentem pecorum, & pecuniæ vim momento temporis exſufflauit, ac vitam proindè procùl alieno mancipatus ſeruitio exegit. Neq; me latet fœmina nobilis, quę à Gallo impoſtore circumuēta, & multa pecunia diù emūcta tellurem domi noctu eruebat, atq; in ima profunditate recectà foſſa, qua ille aſſeruari theſaurum locupletiſſimum ſomniauerat, ingenti lætitia affecta auxilio ancillæ demitti voluit. Quò verò exiſtimatis Auditores, fabulam vergere? quem ſupremū

tuiſſe

fuiſſe actum ? phialaſne annorũ millibus auro graui las, Crœſiq; ſupellectilem recuperatam ? abeſtis à vero plurimùm. incidit illa in infimas ſordes, & toto corpore collegit ſtercora,quæ imprudentiæ miſeram coarguerẽt. Porrò de Genethliacis, Matheſimq; profitentibus qui parietes? quæ tabulæ oppidò non queruntur, atq; artis ludibria declarant? Obijciat hic mihi fortaſsè aliquis hanc fuiſſe vetuſtiſſimam diſciplinam, ſtudium vnà cum orbe natum, cui ſanctiſſimi, laudatiſſimiq; viri operam dederint, deq; Abrahamo, Ioſepho, Moyſe ſatis inter veteres paginas conuenire. At ad manum reſponſio eſt, illi enim ad euentus fortunæ quærendos aſtrorum lumine non vtebantur, neq; humanis voluntatibus neceſſitatem à ſtellarũ vultu, aut coitionibus petebant, ſed ea duntaxat, quæ ſub imperio naturæ ſunt, ſerenitates,tempeſtates, vbertatem, famem,eclypſes,atq; alia generis eiuſdẽ. Sciebant quippè ſapientiſſimi homines cætera vel à Deo vno pendere,vel nullo opinionem fundamento niti,quæ ad vim ſyderũ referantur. Verùm imprudens ego,Satyrographe, lapſus ſum; animaduerti ſerò, quamquàm in Satyra Aſtrologiæ non parùm aduerſeris, te in notis tamèn eidem fauere, ac nobiliſſimam facultatem ſummis laudibus in cœlum reuehere. Hic tuam te oportet oppidò declarare ſententiam. Si ſub ea diſciplina viuis, ſi fidem adhibes, contentiones tecum gerere haùd expedit mihi. Vereor noxij alicuius Planetæ horribilem fuſtem tua manu iactatum,atrociumq; illorum quadratorum, quæ apud vos ſunt, furorem, & mulctam mirificè pertimeſco.

Iàm verò ijs argumentis,quæ nulla ratione in controuerſiam vocari poſſunt, probata hæc à nobis, & firmata veritas eſt, propriæ magnitudinis appetentiam, cum ab

ortu rerũ vnicuiq; connata ſit, vbiq; gentiũ latè patere, ac propterea tantam eſſe rerum ſollicitudinem futurarũ, tantum ſtudiũ Mathematicæ cognoſcendæ. Quo morbo ſi Arabes laborant,& Indi; ſi Æthiopes contaminantur, & Numidæ; ſi Græci tabeſcunt,& Thraces; ſi Germani, cæteriq; ad Septentrionẽ populi detinentur, neq; Hiſpanus,qui terras imperio amplectitur,à Cœli ſpatijs abhorret,quid de noſtris in vrbe Roma dicendum eſt,cuius dominatio non hæreditaria ſucceſſione ſtabilitur,ſed vaga electione diuiditur? quæ admiratio, ſi rimatur hic vnuſquiſq; fortunas ſuas, vbi quiſq;, etiam ſi loco humili, & ſordido natus, ad ſummam fortunam vocari poteſt, & regijs apicibus imminere?

*Q*uæ cùm ita ſint, aperto iàm ſub Sole reſpicis, Satyrographe,quæ vitia vni obijcis Romanæ vrbi, ea omnium nationum,omnium gentiũ cõmuni piaculo contineri,atq; ex vniuerſis terris quaſi collecta in hanc arcem confluxiſſe. *Q*uæ igitùr tua eſt audacia? qui furor? cùr tu nos ob ea ſcelera, quorum inter reos numeraris, fœdè proſcindis? Sed noui ego ingenium hominis,Auditores, argumentum ſermoni quæſiuit diſertus ſcriptor, ſeu quoniàm neq; inter Romanas infulas ſedet, neq; thiaram principem adeptus eſt; idcircò Roma digreſſus irato calamo in Romana capita debacchatur. At,vir bone,prouidentiæ diuinæ leges non benè calles. Siquidèm cœtera bona ad libellam meritorum mortalibus erogentur,magnitudo profectò, & imperium,vel Tito Cæſare iudice, fato dantur,eaq; ipſe rerum Princeps Deus arbitrio largitur. Nàm quis Pompeium cœteris olim in Romana Republica non prætuliſſet? tantum tamèn virum, tàm ſtrenuum, atq; omnium gentium victorem reiecit ille, Thraces,Arabes, agricolæ, ſuum cuſtodes, ac monſtra inter-

interdùm ſecutis tẽporibus imperarunt. *Quæ* ludibria, ſeu inanium huiuſmodi contemptu rerum patrat diuina manus, ſeu (quod verò propius videtur) ſumma ſapientia, ſingulariq; conſilio, cum pleriſq; in eorum met ſupplicium imperia tribuat, alijs in præmium, nonnullis ad pœnas gentium. Ex quo fit, vt magnæ imprudentiæ, magnæq; inſcitiæ, ac leuitatis argumentum ſit ab eximijs illis culminibus, qui honores diſtribuunt, iniuriam ſe accepiſſe profiteri, atq; offenſionẽ animo, & vocibus præſeferre, ſiquis in electione præteritus fuerit, & fabulam vulgo fieri neceſſe eſt, cùm neminem lateat è nutu Numinis illa pendere. Neq; ab hoc genere dedecoris ille abfuit, qui nequàquàm euectus ad purpuram, generoſa (vt tuis verbis vtar) percitus ira deſeruit repentè Romam; nam cum illum paulò deindè pœnituit facti, tùm amicorum, affiniumq; nemini probata res fuit.

Hactenùs omnem Romæ turpitudinem gliſcere tibi dedimus, Satyrographe, quæ tamèn egregiè in tuum caput retorta eſt. Nùnc alia eſt nobis ineunda ratio defenſionis, tuæ nùnc ſunt calumniæ, contumeliæq; confutandæ, & planè oſtendendum res hic ſe habere ſecùs, ac tu mentiri non erubeſcis. Vidiſtine templorum ſubſtructiones miraculo proximas? vidiſti magnificas, & lautas aras, ſimulacraq; magnorum Cœlitũ? obſeruaſti ſupellectiles regias dicatas Numini? affluentiam commeatuũ, annonæ copiam in locis pauperibus attributis? medentium ſolertiam, & cultum in Xenodochijs? omnia hæc nonne vides, amentiſſime, eſſe eorum principum dona, quos tantis tu criminibus inſectaris? eſſe teſtimonia pietatis, monumenta charitatis, veſtigia religionis? ò Deus bone, quàm profusè, quàm prodigè in res acceptas ſupernis vicibus hic ſemota ambitione concurritur; quot

homi-

hominum ægritudines, egeſtates, miſeriæ alleuantur; quot virgines, alioqui magno in periculo conſtitutæ, honeſtiſſimæ collocantur. Obijcias multitudinem egenorũ in triuijs, ac templis ad ſtipem ſedentium; obijcias paruulorum errantes greges, mulierum vagos, nudoſq; cuneos. Egregiè verò, quaſi aut pleriq; à cuſtodijs publicis data opera non abhorreant lucro inhiantes, aut tantus vndiq; pauperum, peregrinorumq; non adſit numerus, vt Romanos cenſus excedat. Vos alienũ, remotumq; genus, regiones veſtras inutilibus huiuſmodi ſedulò purgatis oneribus; vos tineas haſce, colluuiem agrorum veſtrorum, in Romanam frugem dimittitis; deindè verò noſtrorum procerum auaritiam, crudelitatemq; acerbiſſimè profligatis? ſcilicèt quibus vniuerſus haùd ſatis eſt orbis terrarum, ijs opiparè, & lautè vna Roma victum ſuppeditet? His, quæ ſub ſenſum fluunt, probationibus manet idm Romanorum patrum pietas, & liberalitas ſatis, ſuperq; firmata. Venio ad iuſtitiam, cuius tantum hic ſtudium, tanta ſollicitudo eſt, vt nulla maior expeti poſſe videatur; eaq; adhibetur præcipua cura, ne infirmiores à potentioribus in iudicio circumueniantur; vt viduarum, pupillorumq; rationes, & cauſæ tuto verſentur in foro; vt ſuum vnicuiq; hominum tribuatur; neq; tanta in Vrbe non viget cognitio dicundi iuris talis peritia legum, vt ex omni Chriſtiana Republica hùc deportentur cauſarum ſoluendi nodi, atq; inuolutæ, implexæq; actiones, quaſi ad oraculum deducantur. Quòd ſi qui ſunt iudices, prout vbiq; nimij ſunt, & mortalibus, & Deo ipſi inimici, quorum ſub faſcibus ius, faſq; detrimentum quandoq; patiatur, næ maxima iniuria eſt in Principes referre flagitiũ, quòs, cùm curis grauioribus teneantur, parua multa, aut etiam mediocria latere, & facile, & profectò neceſſe eſt. Edi-

Editis, atq; opulentis Principibus percuſſis, etiàm in humiles receſſus, clauſtraq; cœlibum irruis deterior fulmine, Satyrographe, indè ſuperbiam, libidinem, crapulam damnas, hinc tibi modeſtia, humanarũ contemptus rerum, temperantie, pudicitia negotium faceſſunt. Quid tibi perfecto, abſolutoq; homini probari valeat, minimè video. Ecce hi, qui voluntatem ſuam in manibus Numinis poſuerunt, qui ædes magnificas, & lauta triclinia deſeruerunt, qui victu ſimplici, & parco cultu ſordido, & duro, flagelliſq; vſq; ad ſanguinem carnem macerant, & caſtigant, quantum emolumenti afferant humano generi, quantum præſidij, quoties placari cogant inſtar Moyſis diuinas iras, & iàm cadentia cœlo fulmina remorentur. Ecce ij, quos tu præ cæteris profligatiſſimis vrges, atq; afficis contumelijs, quantum laboris, quantum ſtudij collocent in virtute, quorum opera ab exilio reuocata, ciuiſq; eſt; niſi fortè hæc tibi habentur flagitij loco. Nàm quid deeſſe poteſt ad exquiſitam iuuentutis educationem, qua ipſi illecebras, corruptelaſq; arcent ei ætati natura coniunctas? quo vehiculo in alterum orbem ſalus eſt hominum deportata, quò neq; Bacchi timpana, neq; alexandri arma, neq; Pompeij ſigna penetrarunt, niſi horum induſtria, & auſu, qui prima fidei rudimenta in barbaris, atq; efferatis illis regionibus proprijs cruoribus educarunt, propterea inuidia poſt habiti, quoniàm virtute antecellunt? Ecce, inquam, hi omnes tales, ac tanti Eccleſiæ ſacroſantæ commilitones, tamèn vobis Catonibus, & Curijs ſeueritate priſca, ſuſpenſoq; ſupercilio neutiquàm placent; cumq; Catilinas, & verres perditiſſimus palàm ciues accuſare fas, æquumq; ſit, vos bonorũ etiàm, quà opera egregia ſunt, in animas Dei æmuli penètratis, menteſq; ad veſtram ſententiam maligni

interpretes declaratis. A vobis ieiunia,& cilicia ad hipocryſin, incuria terrenæ rei ad ſuperbiam, abſtinentia ad ambitionem, pietas ad ludibrium Numinis referuntur. Quid plura? penes vos humanarum cogitationum expoſitores vel ille ipſe Ioſephus, Ægypti ſalus, eſſet impudiciſſimus,flagitioſiſſimus. Vos autèm epularum voragines vini gurgites in expleti, aſſiduis cõpotationibus, & ebrietatibus operã dare glorioſum ducitis,& qui veſtras conſuetudines intimè rimaretur, is profectò abominationes à vobis geri turpiores, noxioreſq; deprehenderet, quàm penes Ezechielem geſſere mulieres poſt parietem plorantes Adonidem.

Sed quoniàm,vos peregrinæ nationes,ò Satyrographe, tantam morũ indignitatem in vrbe verſari putatis, tantas eſſe ſacrorum capitum turpitudines iactatis,percũctari libet, quam materiam,quam formam,quam originem iſti homines habuerunt? quodnam eorũ ſemen eſt? humanũ herculè inquies, ab vno primo genitore in tàm diuiſam multitudinem propagatum. At ex quibus locis, vrbibus, regionibus hunc ordinem Hierarchicum ad nos profectum dices, conflatumq; eſſe? Fatebere quidèm, ſi ſanus es, ex omnibus terra, mariq; degentibus populis aduolaſſe, neq; gentes extare tàm longè poſitas, tamq; difficili interuallo diſcretas, quæ ſacris initiatos ſui ſanguinis in vrbe non habeant,cùm vix centeſimus inter eos Romæ ortus numeretur. Non ergò intelligis obtusè, Phormio, cùm vos eos tantoperè inſectamini,in veſtrum vos genus,in veſtrum ſanguinem furere,atq; in vos ipſos maledictorum dedecus retorqueri? In vos, inquam,qui ſi veſtras omninò libidines non cohibetis (quod negare, aſſertore Ioanne ſanctiſſimo,maximum mendacium eſt) ne eos quidèm damnare debetis,qui vobis affines eodem

ſomite contabeſcunt; quiq; vobis ignoſci velitis, neq; cœteros æquum eſt ad pœnas,& verbera poſtulare. Sint adhùc ſceleſti, & vitij omnibus contaminati, vt ab ore veritatis habetis oraculum,& documentũ; Quod docet, facto complete, opera poſthabete. Ità doctrinæ, & loco nihil officit flagitium doctoris, vti Soli cœnum nihil affert ſordiũ, & turpitudinis. Et ſanè foret ille dementiſſimus, Satyrographe, qui pecuniã recuſaret, quæ ex inquinato, aut fracto loculo proderetur.

Verùm ingentem beneuolentiam,charitatemq; obſeruare licet, Auditores, in huiuſmodi homine; magnæ illi curæ cupiditas eſt ſalutis noſtræ, dat ille nobis monita pietatis, documenta religionis. Sed videamus,oro,quibus artibus, quibus modis. Eius ſyllogiſmi conuicia ſunt, inductiones probra,enthimemata contumeliæ, totus ſermo vituperatio,neq; Romæ tantùm,ſed per quam plura poteſt oppida, diſpergi curat. Has certè ſuadẽdi leges, hanc formam medendi animis in nullo Rethorũ, nullo Philoſophorum codice deprehendi. Ad lùcrumne animarum ſpectare poteſt, earum ſcelera promulgare? Quin potiùs ad Deum clementiſſimum preces effundere, commendare, orare, ſi qui nocentes, ac deuij ſunt,eos ne deſtitutos abijciat, neu eorũ ſcelere regna pelſundet. Hoc ſanctiſſimũ inſtitutum, hæc charitas, hæc dilectio. Et quidèm cauſa hic agitur populorum, nulla enim re eorum æquè incolumitas continetur, ac religione ſacrorum capitum,nulla ditiones proniùs ad exitum vergunt, quàm ſi homines Deo dicati, quibus illæ fundamentis planè nituntur, à turpitudine non abhorreant. Ad hæc reſpondebit ille,ſe contumelijs egiſſe negans, & meam fatuitatem exſibilabit; profitetur enim ſe tùm in Satyra, tùm in Notis ad calcem blandè mulcere, atq; amicè

tra-

tractare lectorem, & ſuauioribus lenimentis animos repurgare. At homo impudens,atq; omni dolo,ac ſcelere profligate, hoc tibi quoq; deerat ad ſummam, vt poſtea quàm nos acerrima cenſura, & lethalibus aculeis vndiq; confixiſti, tibi etiam deriſui, & ludibrio haberemur? Sed vt vt ſit, tuis ne monitis, tua ſapientia indigent ſummi viri? Suſne ſordida, & lutulenta Mineruam doceas? noctuas Athenas feras? Audite,viri clariſſimi,pijſſimum concionatorem,aptate dicenti aures; excutere ſe Romã iubet, deq; corde reuellere ſuperbos dominos, ſed ità æquiuocè homo ingenioſus, vt niſi adeſſent Notæ, alij etiàm domini,quàm vitia intelligi potuiſſent; ingenioſus, inquam vir, & planè ſummus, qui & cœli interpretem agit, & Solonis, Moyſiſq; leges æmulatur. Nulla tamèn neceſſitas erat, Satyrographe, mihi crede,tanti laboris. Et leges Romæ callent, & cõtra leges facientes mulctare ſciunt, atq; eos præſertim, qui lingua in ſacros Proceres temerè inuehuntur, & latrant, tametſi non ſemper virgis agere opportunum ducant. Etenim propterea ſapientiſſimus rerum moderator, & rector homines impoſuit hominibus,vt coram extet,qui ſpretas leges vlciſcatur; interdùm earum vim, atq; aciem intendat, quãdoq; obtundat,& conſentaneum rationi temporum,ac rerum temperamentum adhibeat.

Ego verò, Satyrographe, in exitu ſum, & cùm nullam ſimultatem tecum gero, tùm etiàm vt fructum aliquem ex hac mea percipias reſponſione (quod vehementèr expeto) monere te familiaritèr operæpretiũ exiſtimaui, quàm te deceat venerari Romanos Proceres,neq; mores malè tibi cognitos vellicare. Nàm ſi hoc ab rerum origine regnis omnibus vſuuenit, vt quãdoq; ab immanibus Tyrannis, quorum multiplicem catalogum texerę infiniti

niti laboris eſſet, acerbiſſimos cruciatus patiantur; at vbi Roma Caligulis, Neronibus, Heliogabalis, atq; alijs huiuſmodi notæ portentis ex infernis faucibus erūpentibus defuncta fuit, eum nacta eſt demùm diuino beneficio ſtatum rerum, quo præſtantior, quo tutior inſtitui, aut excogitari poteſt præterea nullus, inuidiam ciens, ſed maior inuidia; nàm vel odere, qni eò pertingere neutiquàm valent, vel qui dominos abominãtur, vt liberè, impuneq; in omnem licentiam, & turpitudinē effundantur. Verùm exitiabilis illa, neq; probata Numini libertas eſt, quod nimirùm cum ore mortali inter mortales affulſit, ſatis, ſuperq; docuit eſſe mortalibus obtemperandum, & rectam hominum ſocietatem legitimo ordine contineri. Hoc vnum monitum amiciſſimum amplectere animo, Satyrographe, atq; in te ipſum reflecte oculos; qui enim alienos mores cenſendos, turpitudineſq; reprehendēdas ſuſcipiat, hunc ab omni prorſùs flagitio immunem, ab omni ſcelere tectum, ſartumq; eſſe neceſſe eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google